LEGATIO APOSTOLICA PETRIJ ALOYSIJ CARAFAE, EPISCOPI TRICARICENSIS, ...

Pier Luigi Carafa, Ascanio Rivaldi, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

7
4 B
54

XVI H 56
~~VI A 38~~
M.1.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goog

LEGATIO

APOSTOLICA

PETRI ALOYSII

CARAFÆ,

Epiſcopi Tricaricenſis,

VRBANO OCTAVO

PONT. MAX. SEDENTE

Obita ad tractum Rheni,

& ad Prouincias Inferioris Germaniæ, ab Anno M. D. C. XXIV. vſque ad XXXIV.

LEODII,

Anno M.DC.XXXIV.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Emin^{mo} & Reu^{mo} Domino

FRANCISCO BARBERINO
S. R. E. Cardinali

Dño Col^{mo}.

VBi primùm, Em^{me} Domine, à Summo Pontifice, vt Italiam repeterem, impetrauit mihi Em^{a}. V^{a}. exiſtimaui mearum eſſe partium, de conditione ac ſtatu Legationis referre, quam amplius decennium obiui, & ſcribere potiſſimum de rebus hoc ſpatio temporis à me geſtis: & ſi fortaſſis eæ geſtæ ſunt voluntate maiori, quam facultate. Sic enim quibuſdam quaſi lineis videbor exprimere formã obſequij,

Digitized by Google

quod Sãctitati Eius pariter atq. Em. V. equidem præſtare impensè ſtudui; ſiue tuendo Apoſtolicam & Eccleſiaſticam iuriſdictionem, ſiue in melius prouehendo, tum Religionem Catholicam; tum dignitatem ac diſciplinam eorũ, qui ſunt populorum capita Sacerdotes. Adieci ordine ſuo tragicas viciſſitudines belli Germanici, ſeriemq́ue lamẽtabilem prçliorum; expugnationes ac deditiones Vrbium atque Arcium præcipuarũ, vniuerſamq́. Prouinciarum & Religionis vaſtitatem; quæ obuênit, laniante armis ſacrilegis Imperij viſcera Guſtauo Adolpho Rege Gothorum & Vandalorum. Dum

is

Digitized by Google

is Epiſcopatus florentiſsimos, pulcherrimas & maximas ditiones, illuſtria Sacerdotum Collegia, Cœnobia Virorum, domicilia Parthenia, & loca omnia ſacra proſtituit militum furori: quaſi in aras & Templa veriùs, quàm in lares & mœnia machinis ſuis tonaret, implens Exulibus ſanè miſerandis (ſi ſpectetur prima eorum vel gloria, vel fortuna) Germaniæ ab ſe oppreſſæ obiacẽtes quaſque ac finitimas regiones. Supplico interea Em^æ^. V^æ^. vt teſſeram hanc obſeruantię meę adſpiciat intuitu illo benigno, quo ſemper adſpexit, & Sibi gratos fuiſſe affirmauit, labores qualeſ-

cum-

Digitized by Google

cumque, ſuſceptos à me, ac ſuperatos in adminiſtranda Legatione. Sed & impensè rogo, excuſet ea, in quibus mea tenuitas voluntatem ceteroqui alacrem & propenſiſſimam aſſequi non potuit. Etenim hæc voluntas, ſi eius valuiſſent vota, optaſſet cũctis compertum reddere; me in hanc Prouinciam ex Sede iſta Sancta extuliſſe, quæcumque poſſunt Legatum aliquem Apoſtolicum exprimere, numeris ſuis abſolutiſſimũ, & qualem meretur Pontificatus Vrbani Octaui, atque Em^æ. V^æ. principatus. Narratio ipſa in volumen exiuit, experta nimirum in diuturnitate temporum, & re-

rum

Digitized by Google

rum ſumma varietate fruſtra deſiderari breuitatem. Hæc etiam prolixitas, vti ſpero, excuſabitur, ſiquidem non debuerit probari: in eamq́ue ſpem adducit me ſumma, & propemodùm excedens humanitas Em^{x}. V^{x}. Cui mea obſequia perpetua offero iterum ſinceriſſimè, ac precor in diem longiſſimum tempora & gaudia felicium. Romæ.

Em. V.

Humillimus & obſequentiſſimus
PETRVS ALOYSIVS *Epiſcopus Tricaricenſis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATIO
APOSTOLICA
PETRI ALOYSII
CARAFÆ,

Epiſcopi Tricaricenſis,

SEDENTE VRBANO
VIII. PONTIFICE MAXIMO,
*ad Tractum Rheni, & ad Prouincias
Inferioris Germaniæ obita ab An.
1624. vſque ad An. 1634.*

*AD EMINENTISSIMUM ET REVERENDISSIMUM
CARDINALEM
FRANCISCVM BARBERINVM.*

I.

PLacuit Sanctiſſimo Domino Noſtro, VRBANO Octauo, me ad Inſulas ſacras Eccleſiæ Tricaricẽſis, & ſimul ad Apo-

ſtolicam Legationem Rheni, Prouinciarumque Inferioris Germaniæ, deuocare; dum pro Em.ª V.ª Præfecturam Principatus Firmani adminiſtrarem; in eaque ſeſqui-annum agerem; qui antea Ferrariæ fueram ad ſexennium Prolegatus. Eum vtrumque honorem permagno æſtimaui vel ideò, quia ſpõte offerebatur; & cùm primùm licuit, hoc eſt, poſtridie quàm aduenerat Succeſſor, Romam ſum profectus: ac Summo Pontifici adfui ad pedum oſcula, Em.æ V.æ autem ad obſequia omnia, de diſponendo itinere ſtatim deliberaturus, poſt datum ſpecimen coram Sanctiſſimo, circa Iuris, quà Pontificij, quà Cæſarei, peritiam; & poſt ſuſceptos Sacros Ordines, peractamque ritè Epiſcopalem inaugurationem. Sed & ſcripſi ex Vrbe in primis ad tres Eccleſiaſticos S. R. I. Electores, atque ad eos, tamquam ad prima legationis capita, profeſſionem obſeruantiæ meæ, per epiſtolas interpretes, antemiſi.

Adornatâ iam profectione, ſtatueram legere oram Thyrreni maris, & in Liguriam nauigare; ſed enim hoc Summus Pontifex non probauit, ex rumore conſtanti, qui ferebat, celoces piraticas in eo mari ad prædam circumcurſare. Itaque, vt irem per Flaminiam, atque Inſubriam, & Rhetiæ Alpes ſupe-

ſuperarem ; ex Vrbe abij, VI. Calendas Iulias ; An. M. DC. XXIV. litteraſque Pontificias, & epiſtolas Em^{ae} V^{ae} in viâ omnibus tradidi, quibus illæ inſcribebantur; aut certè miſi, nam de viâ eorum aliqui fortè aberant, dum ego pertranſirem.

Bononiæ peculiariter à Cardinalibus Vbaldino Legato, ac Ludouiſio Archiepiſcopo exceptus fui omni honore præcipuo. Mutinam non niſi à primis tenebris perueni poſtridie, ac tametſi clauſi aditus, hoſpites quoſque alios excluderent; illico Rhedæ inſtructæ famulitio cum facibus, in eiſque Nobiles Viri adfuerunt, qui me ad Aulam ducerent. Senior Dux Cæſar, & Princeps Alphonſus filius inuiſerunt me primi, exhibueruntque omnem beneuolentiæ modum; & quia defuiſſe honorem inopinato aduentui meo putârunt, iuſsêre, vt in poſterum diem Regij alterâ Vrbe, monito per antecurſores Erneſto Marchione Beuilacqua, Vrbis Præfecto, exciperer maiore gloriâ. Proinde obuius fuit Comes Erneſtus cum Rhedis ſatis multis, & cum duabus turmis equitum, conſpicuis ordine, atque omni apparatu militari, tractauitque me conuiuio prælauto, & cum eodem comitatu, horis

pomeridianis abeuntem, proſecutus eſt.

Parmæ, quia veni perinde dum iam appeteret nox, obuios habui aliquot Nobiles cum Rhedis, & prælucentibus facibus; atque adij tum Cardinalem Farneſium, tum Odoardum Ducem, eiuſque Matrem; quibus, ſicut & pridie Eſtenſibus Principibus, tam Summi Pontificis, quàm Em^{æ} V^{æ} litteras tradidi. Vti verò Parmæ tractatus magnificè fueram, ita vix præſentiam eorumdem humaniſſimorum Principum deſideraui Placentiæ. Nam ibi Comes Ludouicus Caracciolus, Vrbi Præfectus, cum ſignificatione honoris plurimâ me in domicilio Principum habuit.

Mediolani Cardinalem Borromæum Archiepiſcopum, ac Ducem de Feria, vniuerſæ Ditionis Moderatorem conueni pariter, ac me ambo viciſſim reſalutârunt: moratus verò ibi ſum denos circiter dies, donec aliqui ex familia valerent proſperiùs; qui fortè venis ab æſtu vel morbi, vel anni feruefactis oblanguerant. Comi propinquâ Vrbe frequentes Rhedæ, & in eis Nobiles Viri me aduenientem extra portas expectârunt. Luganum deinde Como, per Stagnum interfuſum adnauigaui, & rurſus equis progrediens, horrida aſpectu Alpium iuga, per ſemitas audaces, præcipites,

pites, atque albentes ſubinde, vel in diebus caniculares, niue pertinaci, demum tranſcendi. Mox Altorfio nauigijs Lucernam veni, & Apoſtolicum Nuncium, qui me inuitauerat pridie, obuium in lacu reperi, cum Præſide, ac primoribus è Magiſtratu. Atque is poſtridie Magiſtratus tum bellaria è ſaccaro, aliaque ad me munera tulit, tum è turri publica iuſſit tubicines & fiſtulatores canere diu, horis præſertim pomeridianis, meumque aduentum, in Vrbem Lucernenſem, eo lætiſſimo ſtrepitu celebrare.

Tandem hinc ad Rhenum amnem Eridano haud ſanè imparem veni, vbi Baſileam præterfluit, Vrbem inſignem; niſi quòd à ſordibus Hæreſum eam tam vberes aquæ nunquam emaculant. Tum ſecundo Rheno, inter conſitos vineis colles, ex quibus in Autumno exſudant opes Regionis, limites primos Legationis intraui, cuius iam vniuerſæ amplitudinem, quàm breuiſſimè deſcribam.

II.

Illius citima pars, ad Meridiem ſita, Epiſcopatum Argentinenſem complectitur, cui Alſatia, & Sueuia circumſtant; rectaque deſcendit ver-

 sùs

ſùs Epiſcopatus geminos Spirenſem, & Wormatienſem, vbi cis Rhenum explicatur in ampla Terrarum ſpatia Inferior Palatinatus. Succedunt ei tum Archiepiſcopatus Moguntinus, ad quem ſpectant Francofurtum, Erfurtum, & aliæ Ciuitates magnæ; tum Archiepiſcopatus Colonienſis, in cuius Diœceſi ſunt Iuliæ, Cliuiæ, Montium, & Marchiæ Principatus.

Hinc autem flectendo magis ad oram Septentrionariam, ac declinando finitimam Vltraiecti diœceſim, occurrunt in peramplâ regione, quæ iacet inter Rhenum, & Viſurgim Epiſcopatus Paderbornenſis, Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, & Mindenſis. Ac denique Archiepiſcopatus Bremēſis, partim in Weſtphalia, partim in Inferiori Saxonia, adeoque Holſatiâ trans Albim, vbi Hamburgum, Epiſcopatus Lubecenſis, & Ratzenburgenſis, in Ducatu verò Megalopolitano Swerinēſis, vſque ad Baltici maris oram, Cimbricam Cherſoneſum, atque Iutlandiam ſita ſunt.

Ad Orientis plagam offert ſe Mœnus, & Diœceſis Herbipolenſis, ſeu ditio Franciæ Orientalis; cui propinquus eſt Epiſcopatus Bambergenſis. Ex Mœni eo tractu in Buchoniam, Thuringiam, Haſſiam deſcenditur; vbi hæ ſunt Abbatiæ mag-

næ,

næ, Fuldenſis, Heirsfeldenſis, & Corbeienſis, perque ditiones Brunſwicenſem, & Luneburgenſem, ad Holſatiam (vt dixi) & ad Principatum Sleſwicenſem, in ipſo aditu Iutlandiæ, ſeu Cimbricæ Cherſoneſi, peruenitur. In hoc terrarum ſpatio, præter Epiſcopatus Hildesheimenſem, & Halberſtadienſem, eſt Archiepiſcopatus Magdeburgenſis ad Albim, cum Suffraganeis Epiſcopatibus, Miſnenſi itidem ad Albim, Naumburgenſi, & Merſeburgenſi ad Salam, in Electoris Saxoniæ ditione, & cũ Brandenburgenſi atque Hauelbergẽſi in alterius Electoris Brandeburgici Principatu, vſque ad Pomeraniam. In quâ regione tametſi latiſſimâ, & ad Baltici maris oram porrectâ, vnus dumtaxat ineſt Epiſcopus Caminenſis: ſed is quia Gneſnenſi Archiepiſcopo, Poloniæ Primati ſubeſt, ad aliam pertinet Legationem.

Latus aliud Legationis ad Occidentis plagam ex Rheno in amnes alios duos Moſellã, & Moſam ducit; inter quos amnes eſt Lotharingia, cum Epiſcopatibus Tullenſi, Metenſi ac Verdunenſi. Nam hi cum Metropoli ſua, hoc eſt, cum Archiepiſcopatu Treuirorum ad Legationẽ hanc pariter ſpectant. Ponè conſequuntur in Moſæ tractu, tam citeriore, quàm vlteriore, ditiones tres,

Bullio-

Digitized by Google

Bullionenſis, Luxemburgenſis,ac Lymburgenſis, cum Diœceſi, ac Principatu magno Leodienſi; vt proinde, ſi admetiri lubeat magnitudinem huius Legationis,comprehendat longitudo eius milliaria Germanica amplius centum, & triginta: latitudo autem eius ad milliaria fermè centum extendi videatur.

III.

QVòd ſi æſtimare ſit eius Eccleſiaſticam iuriſdictionem; cùm ſoleat diſtribui Germania ſeu Imperium, in Archiepiſcopatus ſeptenos: ex ijs quinos, eoſque præcipuos, nempe Magdeburgenſem, Moguntinum, Colonienſem, Treuirenſem, & Bremenſem, eorũque Epiſcopatus Suffraganeos fermè omnes, cõtinet hæc Legatio: dummodo excipiantur Epiſcopatus aliqui Prouinciæ Moguntinæ, qui vnà cum alijs duobus Archiepiſcopatibus Imperij, nempe Salisburgenſi, & Veſontionenſi, & cum Epiſcopatibus eorum Suffraganeis, pertinent ad Apoſtolicum Nuncium vel Galliæ, vel Rhetiæ.

Porrò inter hos Archipræſules, & Epiſcopos, tametſi magnos, & Principes S. R. I. qui cum lituo, infulisque temporariam obtinent poteſtatem,

dignitas

dignitas Nuncij Apoſtolici adeò excellit; vt in congreſſu ei honor primus, vel ab ipſis Eccleſiaſticis Electoribus, qui nulli cedunt, præterquam Cæſari, deferatur.

Etenim apud hos ille nõ reſidet, vti apud Principes Orator, nec ſtabilem, aut neceſſariam apud eos manſionem habet: ſed vbi maluerit, poteſt morari. Cumque videatur Nuncius totius fermè Imperij (nam Imperator etiam, quando ad has Prouincias, ex Regnis, & ditionibus patrimonij ſui eſt venturus, ad Imperium venire dicitur) nihilominus vocatur, appellatione vſitatâ, Nuncius Colonienſis: quia Colonia, olim Auguſta Vbiorum, & Vrbs ad Rhenum præ alijs potens, ac diues, plærumque vti ordinaria habitatio eius eligitur.

IV.

COloniam ideò in Rheno adproperans, Argentinam cum Aſſeclis paucis, nigro, & diſſimulato habitu intraui, cepitque animum ſtatim eius pulchræ, magnæ, ac munitæ Vrbis admiratio. Par fuit commiſeratio tamẽ, dum Templi molem perinſignem, cum præaltâ turri marmoreâ, operoſioris elegantiæ, atque adeò cum

B horo-

horologio eius celebri intuerer. Digna enim veteri cultu ea moles, iam intùs horreo, quàm Tēplo ſimilior eſt; atque Hæreſi polluitur, nullumque retinet veſtigium ſanctitatis. Suggeſtum tantummodo, è marmore candido, cum ſignis auro litis habet antiquæ cælaturæ. Sed ex eo Magiſtri Hæreſum, horis conſuetis, diſpenſant Lutheri errores.

Sunt Argentinæ tamē, ritu Catholico tum Eccleſia Ordinis Theutonici, tum Parthenia duo Cœnobia; quorum in altero, & præcipuo Ordinis S. Dominici, inuiſi eo die Sanctimoniales, ac pijs eas lacrymis perfuſas reperi; quoniam ne à priſcâ quidem recordatione Nuncium Apoſtolicum vnquam viderant. Eaſdem per Interpretem ſum Germanicè adhortatus, vt perſeuerarent in illo pietatis, & continentiæ miraculo, & vt retinerent conſtantiam; quæ ſupra ſexum ipſarum eſſe videbatur; ſpernerent autem venientes iuſſu Magiſtratûs, Hæreticos Declamatores. Sed aduerſus falſa eorum dogmata, illæ (nam intereſſe coguntur) lanâ, vti mox audiui, ſuas defendunt aures, prorſus caſtiſſimæ Heroinæ, ac pluſquam fœminæ, in eo lanæ vſu.

Receſſi, poſtquam eis diſtribui Roſaria, & Numiſ-

miſmata cum Indulgentijs piacularibus; ac redditus Rheno, Spiram Vrbem, Epiſcopatu prædiuite, & Cæſaris Prætorio illuſtrem; dein Wormatiam, quæ pariter eſt cum Epiſcopi, ac Nobilis Cleri honore; poſtea Moguntiam veni.

Ioannes Swicardus Archiepiſcopus, & Elector aberat; conuenerat enim Electorem Saxoniæ, vt impetraret conſenſum, & Maximiliano Duci Bauaro, confirmaret honorem, quem ei Ferdinandus Cæſar, ob ingentia merita, poſt exauctoratum Comitem Palatinum, cõtulerat, dum ipſum inter S. R. I. Septemuiros cooptauerat. Inuiſerũt me tamẽ Magnus Præpoſitus, qui erat ſimul Epiſcopus, ac Princeps Wormatiæ, Magnus Decanus; & ex Canonicis alij cum eis adfuerunt.

V.

EX hac Vrbe, quæ cis Rhenum ſita, & ad Mœni oſtium, defenditur Arce, ibi conſtructâ, vbi adhuc prominet Druſi vetuſta moles; veni ad Confluentes Rheni, ac Moſellæ; ibiq́ue Philippus Chriſtophorus, Archiepiſcopus Treuirorum, & S. R. I. Elector, cum Rheda, & comitatu Aulæ me excepit.

Tradidi ei, tum Summi Põtificis, tum Em^æ^ V^æ^

litteras, & habitus prælautè, deductusque in digreſſu ad Rhenum vſque, ſolui, vt Bonnam irem. Sed illinc aberat Ferdinandus Bauarus, Colonienſis Elector, & Archiepiſcopus; quippe agens ad ſalubres aquas Andernaci, cum Duce Alberto Bauaro Fratre, eiusque Coniuge.

Demùm VII. Idus Auguſti nauem appuli Coloniam, & ibi mecum Anteceſſor Neocaſtrenſis Epiſcopus, à quo in portu exceptus fueram, octiduum exegit; egitque mecum de rebus Legationis.

VI.

POſt admiſſas Canonicorum Illuſtrium, Conſulum, & totius Magiſtratûs ſalutationes, gratulationesque; conductâ domo ex his, quæ ſunt in ipſo Summæ Ædis clauſtro, quod Canonicis familiare viſum eſt, aptumque animis promerendis, cum ſolis apertæ beneuolentiæ artibus natio Germanorum, cæteroqui prona in ſuſpiciones, inuitari ad mutua officia deſideret; deſtinaui cæteras epiſtolas Summi Pontificis, atque Em^æ^ V^æ^ ad Electorem Moguntinum, ad Electorem Bauariæ, ad Archiducem Leopoldum, ad Ducem Neoburgicum, ad Epiſcopos Herbipolen-

polenſem, ac Bambergenſem, atque ad Abbatem Fuldenſem.

Scripſi ad Imperatorem etiam, ſiquidem in eius Imperium mihi obuenerat Legatio; ad Claram Eugeniam Iſabellam Belgij Principem, quoniam ſub auſpicijs Hiſpani Regis tunc erat Inferior Palatinatus, & propter ditiones duas Luxemburgenſem, ac Lymburgenſem. Ad Electorem Bauariæ, propter partes illi ſubiectas eiuſdem Inferioris Palatinatûs; ad Ducem Neoburgicum, propter Iuliam, Cliuiam, Montes, & Marchiam, ditiones ipſius hæreditarias; atque ad alios Epiſcopos, Præſules, & Principes Legationis, natione Germanos, & Religione Catholicos.

Sunt alioqui Principes alij, ad quos ſpectant Prouinciæ nonnullæ eiuſdem Legationis; vti Rex Hiſpaniarum, ſeu Princeps Belgij, propter Prouincias duas Luxemburgi, atque Lymburgi, ac propter Inferiorem, vt dixi, Palatinatum. Item Dux Lotharingiæ, cuius ditio eſt intrà Diœceſes Tullenſem, Metenſem, ac Verdunenſem; præterea Septemuiri duo; alter Saxoniæ, alter Brandeburgi, & Duces Luneburgi, Brunſwicæ, Megalopolis, Pomeraniæ, Holſatiæ; Langrauijque Haſſiæ, & Darmſtadij. Rex inſuper Daniæ, ad quem

 perti-

Digitized by Google

pertinet Holſatiæ pars, & Cimbrica Cherſoneſus: atque adeò Ciuitates liberæ complures, quas Hanſaticas appellant.

VII.

COloniæ tum nulli erant magis crebri ſermones, quàm de Ambroſij Spinolæ Caſtris ad Bredam; hanc enim ille Vrbem, propugnaculis, & firmis operibus munitam, cœperat maturâ iam ſegete, vt ſuppeteret exercitui annona, circumuallatione duplici, aduersùs internum, & externum hoſtem, cum opportunis turribus, caſtellis, & foſſis, obſidere.

Porrò ex eâ propriæ Vrbis obſidione ineuitabili, fruſtrà tentatis auxilijs, Mauritius Princeps Auraſiæ, tabem atque obitum contraxit.

Interim Vienna in Hiſpanias redux, Orator Regis Catholici, Comes de Ognate, & ex Vrbe Roma Cardinalis Hoen Zolleren, qui proficiſcebatur Oſnaburgum, aduenêre Coloniam; & ambos obſequij causâ ſtatim adiui, meque ij viciſſim reſalutârunt.

Adfuit quoque Vladiſlaus Princeps Poloniæ, ſed occultè, nec vllo inter ſuos honoris diſcrimine:

mine: conatus verò ſum ipſi palàm obſequi, at Radziuilium Principem iuſſit excuſare conſilium illud perſonam diſſimulandi, cælandique præſentiam; & eundem Principem Radziuilium ad me, vt gratias referret, poſtea deſtinauit.

Dux Neoburgi pariter in Hiſpanias conceſſit, vt Iuliaci, Veſaliæ, aliarumque Arcium ſuarum præſidia deprecaretur; metuens videlicet, ne Batavi eas inuaderent, vtpote armis hoſtilibus defenſas.

Coloniam perinde inuiſit abſque aſſeclis Albertus Bauarus, cum Coniuge, priuſquam Monachium Bonnâ remearet.

Sed & paulò poſt adfuit ignoto habitu ipſe Colonienſis Elector Ferdinandus, vt Virginalia Diuæ Vrſulæ, atque eius caſti Sodalitij coleret, ſumeretque Sacram Synaxim in Aurea Camera, quam appellant à præcipuis earumdem SS. Virginum lipſanothecis.

Poſtquam verò pietati ſuæ morem geſſerat, multò ante primam lucem, contulit ſe familiariter ad Collegium Societatis IESV, inſpecturus initia Baſilicæ, quam Maximilianus Bauarus Elector, ac Germanus eius Frater, ibi extruebat magnificè. Prius tamen in eo Collegio, ſponte

ſponte adijt cubiculum Religioſi, quem adduxeram ex Italia, vt eſſet mihi à ſacris confeſſionibus, eique poſt multa, quæ humaniſſimo in alloquio dixerat, iniunxit, gratularetur mihi aduentum, apprecareturque felicem Coloniæ manſionem.

Bonnam reuerſus, Nobilem Virum Coloniam non ita multò pòſt miſit cum litteris, Rhedisque, & cum ala Equitum ſuorum, ad me inuitandum, & deducendum; excepit verò cum Regio Aulæ ſplendore, primas deferens, in aditu, in ſeſſione, atque in omni congreſſu.

VIII.

PErfunctus ego ſalutatione illâ, in qua Serenitati Eius, tam Summi Pontificis, quàm Em.æ V.æ litteras tradidi, alijs negotijs dedi me tranquilliùs; & vt honorem Legati potiſſimùm aſſererem; quoniam animaduerti Nuncios Apoſtolicos, ſicubi cœtus publicos frequentarent, ſedere quidem ſupra omnes, ſed in ſubſellio æquali; quod longâ ſerie plurimi, conditione, & gradu impares, occupāt. Iuſſi peculiarem ſedem, conſtratam periſtromate, ac ſupra gradus elatam, in poſterum pro ijs conſeſſibus parari.

Ad

Ad hæc, Canonici Summæ Ædis perrogauerant celebri die, vt Rei Diuinæ interuenirem promiſerantque Sedem ipſam Archiepiſcopi in Odæo, interque ſolemnes ritus, obſeruantiam eandem. Sed cùm occurrere venienti, deducereque abeuntem (etſi modeſtè, ac verecundè) recuſâſſent; tum quia nulli Apoſtolico Nuncio eam ſignificationem honoris antea exhibuerant; tum etiam ex alia ea perſuaſione, (vti poſtea deprehendi) quod metuerent, ne Archiepiſcopus Elector id grauiùs acciperet, ſi nimirum eſſet par, aut communis honor ipſius, & Apoſtolici Legati; negaui præſentiam; & poſtmodum datis Viro graui litteris fiduciariis, curaui vt Bonnæ ipſi Archiepiſcopo res exponeretur: qui doluit ſemet à Canonicis, recuſati honoris, velut inſimulari; atque adeò ſignificauit eiſdem, fore imò ex voto animi ſui, ſi obuij prodirent, & comitarentur venientem, abeuntemque.

Quocirca litteris redditis, vbi ſe primum occaſio dedit, inuitârunt me denuò Canonici; adfuêre obuij, & reduxerunt; nec ad Templi fores modò, ſed vnus eorum genere illuſtris, me ad proprias Ædes proſecutus eſt. Quin imò ſanxerunt ipſimet, vt deinceps obuiam iretur Apoſto-

licis Nuncijs; & vt in digreſſu perinde, vſque ad Templi limen reducerentur.

I X.

SVſcepto itinere Romano, diem vitæ poſtremũ obierat, in ditione Tirolenſi, Theodorus à Clepigen, Scholaſticus & Canonicus Eccleſiæ Colonienſis SS. Apoſtolorum. Contulerat verò Summus Pontifex Sacerdotium eius Michaëli Reinardo, cum is interea temporis degeret in Vrbe Roma, & cùm Sacerdotium illud in menſe Apoſtolico vacaſſet. Sed Coloniæ pariter Senatus, ex Pontificio aliquo indulto, idem Sacerdotium alteri addixerat; qui vti præſens erat, mox eius poſſeſſionem adierat. Ea re comperta, iuſſit Em^a V^a vt ego intercederem, ac Senatui perſuaderem, ratam omnino eſſe habendam gratiam Põtificiam. Quocirca oſtendi, nunquam Romanos Pontifices alicui tantum facultatis tribuere; quin facultatem pro ſe multo maiorem retineãt; & quin anteferri debeat eorum collatio; ſi tempore aut æquali aut ſuperiori emanauerit: quemadmodum reipſa emanauerat triduo antè collatio Romana, quã collatio altera Senatus. Imò tametſi hæc præceſſiſſet; adhuc aſſũpſi, exiſtimari ſemper

per potiorem debere collationem Eccleſiaſticam (quæ vtique eſt ſimul inſtitutio) quam collationẽ Laici Prætorij vel Senatus, quę eſt ſola & mera nominatio. His itaque rationum momentis Senatuî Coloniẽſi facta demùm perſuaſio eſt, vt æqui boni conſuleret; honorem & prærogatiuam deferri Pontificiæ collationi.

X.

Illuſtres Canonici, & qui per explorata Auorum ſtemmata Sacerdotia Colonienſis Eccleſiæ Primariæ adipiſcuntur, cùm vellent habitu diſcriminari à Canonicis Presbyteris, qui ex ſolâ eruditionis commendatione, numero noueni, in eorum Senatum tranſcribuntur; induerant paulò ante aduentum meum, pileos, & togas, ex holoſerico panno rubro villoſo, aureis inſuper tæniolis fibulatas.

Faſtus hic, excedens modeſtiá Eccleſiæ, atque illum ipſum Purpuræ vſum ſacrum, ac temperatum, quo S. R. E. Cardinales ab alio Clero diſtingui ſolent, omnium oculos perſtringebat: ſed & Canonici Presbyteri, qui veſte nigrâ amiciebantur, præ alijs ægrè diſcrimen illud ferebant. Ego proinde ſtatim effeci, ne plures Canonici, eam veſtium lucem induerent, atque imperaui

queque, vt eamdem aliqui ponerent. Decanus tamen Franciſcus à Lotharingiâ, Epiſcopus Verdunenſis, qui tunc aberat, vti conſcius iam redditus erat à Canonicis partium ſuarum, me intercedere velle Auctoritate Apoſtolicâ, & impedire, quò minùs ab eis purpura geſtaretur, Verduno, magnis itineribus Coloniam remeauit, & defenſus tenebris, clàm nocte Vrbem intrauit. Metuerat quippe, ne ſi de aduentu ipſius ego certior eſſem, exigerem ſtatim, vt purpuram non indueret.

Re igitur communicatâ cum duobus alijs Canonicis Illuſtribus,ac dato eiſdem ſimili conſilio, priuſquam ego illos alloqui, ac præmonere potuiſſem, manè poſt primam lucem ex inopinato, purpuratus prodijt, Summique Templi Odæum, dum canebantur Matutinæ preces, cum alijs Canonicis perinde purpuratis, frequentauit.

Tum ego, re compertâ; ad ipſum deſtinaui quamprimum Ioannem Baptiſtam de Ninis, Auditorem meum, ac ſignificaui; Purpuræ illi auctoritatem deeſſe, quia Summus Pontifex non conceſſerat vſum eius; deeſſe inſuper æquitatem, quia in grauem cedere iniuriam Canonicis Preſbyteris ea videbatur; demum deeſſe modeſtiam, quâ

nâ vtique ſolet laudabiliter Eccleſia metiri honores ſuos.

Contrà illeaſſerere priuilegia,& morem antiquum: cùm picturæ veteres, in tabulis, & in vitris ſpecularibus, Canonicos in purpurâ referrent. Sed purpuram eandem fuiſſe promiſcui vsûs, Canonici Presbyteri affirmabant: fortaſſe iuxta decretum Archiepiſcopi Federici, qui anno M. CCC.LXXI. veſtes purpureas induxiſſe perhibetur pro ijs Canonicis,qui Archiepiſcopo eidem in munere aliquo præcipuo miniſtrarent.

Cæterùm inſinuaui, in Sacro Cardinalium Collegio, ſeu felicitas generis & ſplendor Auorum; ſeu ſola virtutis magnitudo eos euehat, parem eſſe veſtium gloriam ;nec pannum cum villoſum, & pretioſum (quo Summus Pontifex dumtaxat quotidie in Epomide,ac pileolo; ſemel verò quotannis, hoc eſt, ipſa nocte Diuinorum Natalium in pallio vtitur) ac multò minùs aureas tænias, fibulasque ab eis geſtari.

Admoniti à me iterum, ac ſæpiùs, per idoneos,& magnæ conditionis Viros, cùm ſibi imperare non poſſent, vt purpuram eam nihilominus exuerent; venêre in eam ſaltem deliberationem, vt libellum ſupplicem darent, peterentque,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

æqui boni conſulerem, Romæ Sanctiſſimi Oraculum, aut ſententiam ab eis rogari, quò ita conſtaret; ponere, aut retinere purpuram deberent; annui verò, & idcirco pendet Romæ adhuc controuerſia, ſeu diſcuſſio eius.

XI.

A Ferdinando Cæſare miſſi Leodium fuerant Commiſſarij, quos appellant (cùm inter Principem, & Ciues non ſatis conueniret) vt concordiæ modum aliquem cogitarent. Hi verò, incertum ſponte, an inducti prauis aliorum cõſilijs, miſcere conati ſunt Cleri Tribunalia; vtque euerterent Eccleſiaſticam, atque Apoſtolicam iuriſdictionem, voluiſſent efficere; quò minùs Laici, à ſententia Officialis Leodienſis prouocarent ad Apoſtolicam Sedem, vel ad Metropolitanum Colonienſem. Quos inter Laicos ille idem Officialis, vel in cauſis prophanis, antiquiſſimam habet iuris dicundi poteſtatem.

Erecti autem in ſpẽ ſucceſsûs, aperire nouum Tribunal meditabantur, ad quod tribunal deinceps prouocaretur.

Ego, re compertâ, tum Sereniſſimum Colonienſem Electorẽ, qui eſt Leodij Epiſcopus & Princeps,

ps, tum Leodienſem Clerum Primarium per-
iam efficaciter ſum hortatus; vt mecum, infracto
nimo, & ſummâ conſtantiâ obſiſterent Admi-
ſtris Cæſareis: & fuerunt ſaluberrimi conatus;
uia ſtetit defenſa omnino ea Eccleſiæ Leodien-
s, & Sedis Apoſtolicæ iuriſdictio.

XII.

ANnum exegeram Coloniæ, cùm debui Leodium cogitare, ob cauſas in primis graues, quas paulò pòſt recenſebo. Leodium, Ciuitas eſt, cui à populi frequentiâ, à Viris omnis Iuris humani conſultiſſimis, à Cleri magni, & prædiuitis gloria, & potiſſimùm à profeſſione obſeruantiæ erga Sanctam Sedem, debetur peculiaris commendatio. Hæc poſtrema laus, in aduentu meo etiam fuit manifeſtior; nam habui obuios, ad aliquot ſtadia, primores Cleri pariter, & Ciuium, aut in Rhedis, aut Equites; qui omnes honorificentiſſimo comitatu, me in Vrbem propriam introduxerunt.

Omnes qui me anteceſſerãt Leodij Sedis Apoſtolicæ Legati in Cœnobio aliquo habitauerunt. Quod cùm animaduerterem incommodare non parũ Religioſæ familiæ, ob Laicorũ vltrò citròque com-

commeantium libertatem atque licentiam, malui Ædes conducere, & ſumptus locationis quotannis repræſentare. Ædes verò ipſas, & earum conclauia veſte holoſericâ exornaui. Quod in his regionibus eſt rarum, in quibus vſui eſt ſolum ſupellex grauis ex periſtromatis belluatis; eaque res inuitauit plurimos, vt Ædes meas ita inſtructas adirent, inuiſerentque.

XIII.

PRonunciauerat Romæ, contra Collegiji Tungrenſis Canonicos, Sacra Congregatio Cardinalium, interpretum Concilij Tridentini, in cauſa Canonici Ricardi Pauli Strauij: Generalis verò Auditor Cameræ Apoſtolicæ, intētato Interdicti, & aliarum Cenſurarum metu, præceperat eis, vt intrà præfinitos dies Sacræ Congregationi obtemperarent: Cùm autem dies ijdem eſſent iam elapſi, nec paruiſſent tamen Tungrenſes; ſponte, vti Cenſuris afflati, à ſacris munijs, clauſo Templo, ritè abſtinuerant.

Clerus Leodienſis tamen, eam profeſſionem obſequij non probauit, cùm ex Vrbe Româ Cauſidicus neſcio quis, ſpe inani omnes impleret, fore nimirum, vt ſummus Pontifex Appellationem

n admitteret, quam Tungrenſes interpoſue-
t. Quocirca Templi valuæ rurſus patuerunt,
Canonici, nullâ præmiſsâ expiatione, ſua rur-
munia, vti antea, obire cœperunt.

Ego inſordeſcere in Cenſuris eos animaduer-
ns, (dum Coloniæ adhuc morabar) ſignifica-
per litteras; haud ſuffragari eis interpoſitam
ɔpellationem, propterea quòd Sacræ Congrega-
ones Cardinalium exerceant iuriſdictionem
'ræfecti Prætorio: vt proinde nec ab eis prouo-
are liceat, nec à decreto perinde Generalis Audi-
oris Cameræ Apoſtolicæ, ſaltem in re præſenti;
n quâ vtique is Iudicem non agebat, ſed Cardina-
lium Iudicum ſententiam potiùs exequebatur;
ideoque nouas eis Cenſuras ego, niſi parerent, in-
terminabar.

Exorti propterea ſunt magni motus in Clero
Leodienſi; amplis enim ſtudijs patrocinabatur
cauſæ Tungrenſium, & propterea Coloniam le-
gationem ad me miſit; quam obiuerunt Vdalri-
cus ab Hoensbroeck Archidiaconus Cleri prima-
rij, Hubertus Vrſinus à Campo Decanus S. Ioan-
nis Cleri Secundarij, & Collegij Tungrenſis Cã-
tor. Sed ij à me obtinuêre tantummodo, ſpatium
ſcribendi rurſus in Vrbem, rogandique, num de-

D feren-

ferēdum appellationi eſſet, quemadmodum pertinaciſſimè adhuc eorum Cauſidicus vaticinabatur.

Poſtquam verò iterum litteris ad me datis fuit compertum, haud velle Tungrenſibus Sanctiſſimum annuere, Abbates & primores Cleri accerſiui ad Ædes meas Leodij, atque in eorum conſeſſu, infirmam cauſam Tungrenſium, ſententiæ æquitatem, & vim Cenſurarum expoſui. Quo factum eſt, vt habito etiam aliquoties priuato cōgreſſu, inducti fuerint Canonici Tungrenſes ad obſequij reuerentiam erga Sacræ Congregationis mandata; petiuerintque ſupplices gratiam abſolutionis, & diſpenſationis ab Eccleſiaſticis cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, & irregularitatis; quam ex Indulto peculiari à Sanctiſſimo D. Noſtro mihi in eum finem conceſſam, eis impertiui.

XIV.

AD hæc, Leodij (dum aberam) iubente me, inquirere iam cœperat aliquis Cleri Secundarij Decanus, in mores parùm conſentaneos Abbatis Vallis Scholarium. Pro cuius defēſione poſtmodum aduenit ex Gallijs primò Vicarius Generalis,

is, dein ipſe Generalis Antiſtes eiuſdem Ordi-
, dederatq́ue pro eius patrocinio inſuper Rex
riſtianiſſimus ad me binas epiſtolas, idemq́ue
emis vnum ex Regijs Conſiliarijs ſuis ad me
pterea deſtinauerat.
Optaſſent verò, vt abſtinerem ab incœpta iam
uiſitione, & iudicium de Abbate permitte-
Antiſtiti Ordinis Supremo, qui iam aderat;
ui in eundem animaduertere, ſi foret demum
s, maluiſſet. Attamen cùm is, quem delega-
m, iudicium præcepiſſet, pergere me opor-
. Quocirca omnibus in commentarios ritè
ſcriptis, Generalem Antiſtitem ſaltem admiſi,
necum de pœna Abbatis deliberaret, deq́ue
rum Religioſorum animaduerſione; quos de-
iſſe nimirum conſtabat.
Regi autem reſcripſi; cùm nihil præter fas, aut
um ſoleat, vel ab eius Maieſtate peti, vel à Mi-
ris Apoſtolicæ Sedis deliberari, poſſe Ma-
ti eius perſuaſum eſſe, commendationis in-
oſitæ fructum fore ipſam æquitatem. Inte-
re diſcuſsâ, Abbas Reus, qui iudicio ſeuerio-
ſed æquo tamen, debuiſſet exauctorari, ſemo-
à me fuit ab adminiſtratione ad triennium, &
allias, ad Cœnobium quoddam Ordinis pro-

prij ablegatus eâ conditione; vt ſi rediret melior, rurſus capeſſeret Monaſterij regimen, priſtinamque obtineret dignitatem, lataque ſunt pœnæ conſentaneæ in alios Religioſos. In abitu Generalis Antiſtes, qui intentauerat minas Religioſis aliquibus, propterea quòd perfugium habuerant ad Sanctam Sedem, etiam Leodio abduxit ex ipſis vnum, cui præ cæteris idoneo, vices Abbatis demandaueram: ſed is de via redditus eſt iuſſu meo. Nam monitis grauiſſimis eundem Antiſtitem Generalem exegi ad obſequium erga Apoſtolicam Sedem. Atque hoc pacto, diù ægra res eius Cœnobij aliquantulum conualuit.

Famam verò aliquam iſtiuſmodi correctio ſtatim promeruit: nam Archiepiſcopus Cameracenſis, Vir ſtudioſiſſimus Eccleſiaſticæ, & Religioſæ diſciplinæ, litteris ad me datis perrogauit, vt alia eius Ordinis Cœnobia reducerem ad virtutis parem laudem: attamen hoc præſtare non poteram, cùm ea extra limites eſſent meæ legationis.

XV.

OPeroſius, & moleſtius multò fuit defendere, ac ſtabilire Leodij Eccleſiaſticam, & Apoſtolicam Iuriſdictionem, quam labefactare ali-

qui

nefario conatu ſtudebant: ſi quo modo impe-
: poſſent, ne à ſententijs Officialis, nempe Iu-
is Eccleſiaſtici (qui ſemper nihilominus in cau-
:tiam prophanis, inter merè Laicos, ius dicere
iſueuit) ad Metropolitanum Colonienſem,
ad Nuncium Apoſtolicæ Sedis, fieret prouo-
o.

Porrò hi, non Spiram modò, ad Prætorium
ſaris, trahere cupiebant Officialis eiuſdem ſen-
:ias: ſed vt eluderent tres ſententias conformes,
s inter Laicos pronunciaſſent Leodij Eccleſia-
a Tribunalia, reuocari eas per Curiæ Spirenſis
ndata caſſatoria, vt vocant, & pœnalia cura-
t. Ne igitur Iuriſdictio ab aliquot iam ſæcu-
imò vltra omnem primordij recordationem
data, ſenſim ſubrueretur; ego cum Officiali,
rimarijs Iuriſconſultis aliquoties conſultando,
reta nonnulla promulgaui, quæ in eam rem
ducere poſſe videbantur.

Verùm ea ab Aduerſarijs illico tranſmiſſa Spi-
, occaſionem dederunt Edicti generalis; quo
enſe Prætorium, aduertens iſtiuſmodi decre-
ſtabiliri, confirmarique Apoſtolicam Iuriſ-
ionem, propoſito metu grauis mulctæ, inhi-
Iudicibus Eccleſiaſticis; ne Cauſarum Laica-

rum, inter Laicos, deinceps arbitri forent. Sed & imperauerunt Spirenſes, vt Ciui cuidam Leodienſi libertas daretur, quem poſt tres ſententias conformes, latas à Iudice Eccleſiaſtico, nihilominus prehenſantem eorumdem Spirenſium opem, iuſſeram ego ad vincula damnari, à tertiæ ſententiæ Iudice; donec debitum Actori penitus repræſentaret. Nec modò ſententias eas abrogauerunt; ſed mihi, Conſulibusque Ciuitatis Leodienſis, mulctam æris grauis, & minas alias intentârunt.

Interim ego, vti præſenſeram Scribæ aduentum, qui me Spiram in ius vocaret, ita re diſpoſitâ, accerſitisque idoneis teſtibus, vbi ille primùm adfuit, cupientem loqui, ſtatim inhibui; & iuſſi, vt priùs audiret Caput XV. & XVI. ex Bulla Cœnæ Domini: ne ignoraret Cenſuras Eccleſiæ, vibratas aduersùs eos, qui ſacros Iudices vocant ad Prætoria Laicorum. Expoſui deinde vim earumdem Cenſurarum, ſi quo modo animus eius perpauefieret, ob ea Eccleſiaſtica fulmina, cuiuis Catholico metuenda. Quia tamen excuſatâ neceſſarij muneris conditione, ex quo ſemet aleret, ac ſuos liberos; etſi promiſit ſe id nunquam deinceps acturum; nihilominus delibera-

tum

Digitized by Google

m habuit Spiræ mandatum enunciare: ter ip-
m ritè monui, ac Cœleſtium execrationibus
rculſum è conſpectu meo dimiſi.

Sed & imperaui, vt quoniam erat Scriba publi-
us, ſcripto ad Spirenſes referret; Curiæ Cæſareæ,
irca rem præſentem à me nullam tribui iuriſdic-
ionem; nec me Laico eorum Tribunali vllatenus
cclesiæ, aut Sedis Apoſtolicæ proſtituere ma-
eſtatem. Quin imò adderet; Supremũ Iudicem,
Præſides, atque Aſſeſſores admonitos me velle;
haud ſanè, vel Cæſari, qui eſt Aduocatus, Tu-
tor, ac Defenſor Eccleſiæ, vel Omnipotenti
Deo, cuius indignationi erant iam obnoxij, ip-
ſos, ſicuti par erat, obſequioſos videri.

Ne deinde Magiſtratus Leodiẽſis Reum ex car-
cere dimitteret; Conſulibus, & Præfecto carce-
ris, metum excommunicationis; Ciuitati verò
vniuerſæ metum interdicti ſtatim intentaui; &
hoc pacto effeci, vt mandatis Imperialis Prætorij
honorem Apoſtolicæ Sedis, vel auctoritatem Ec-
cleſiæ minimè poſtputauerint. Statueram enim,
ad remedia ea extrema priùs venire, quàm pati
vllum Sacræ Iuriſdictionis detrimentum. Quo-
circa obtinui, vt Reus non efferret è cuſtodiâ li-
berũ pedem, niſi poſtquã in ære Actoris omnino

eſſe

eſſe deſierat.

Ad hæc, vt irritum redderem mandatum aliud generale, quod propoſitum, atque affixum Leodij, multos reddiderat ancipites, ac dubios; vtra poteſtas eſſet adeunda; hoc eſt, an ab Officialis ſententia, ex priſco vſu, ac more, ad Tribunal Eccleſiæ, an ex recenti exemplo, ad Prætorium Cæſaris prouocare deinceps oporteret; promulgaui Edictum, in eoque rurſus expoſui grauiſſimas Cenſuras, quibus ij feriuntur, qui Eccleſiaſticas cauſas; trahunt ad Laica Tribunalia & inſuper conuentum indixi, cui in Ædibus meis Cancellarius Sereniſſimi Principis, & Primores è Clero interuenerunt.

Queſtus verò ſum in eo conſeſſu, de Aduerſariorum conſpiratione pariter, ac de Spirenſi Curia; quæ vtique non vocatâ, nec auditâ parte, imò ne explorato quidem titulo antiquiſſimi Iuris noſtri, ſpoliare eiuſdem Iuris poſſeſſione Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem nitebatur: quod ne fiat cum lixis, & calonibus, Imperatores olim ſanctionibus ſuis vetuerunt.

Indolui etiam propter ſpretam Eccleſiæ immunitatem, potiſſimùm, quia Spirenſes in ius vocare ad Laicum Tribunal ſuum veriti non fuerunt,

inter

Digitized by Google

r alia Iudicum Eccleſiaſticorum nomina, ip-
Apoſtolicos Nuncios, cæteroqui ſoli Deo, &
nano Pontifici ſubiectos: quod ferendum
oliùs inerti diſſimulatione non videbatur.
t multa, Cancellarium, & magnum Deca-
n, ſum hortatus; vt Tribunalia Ciuitatis con-
rent in officio, defenderentque tam inſignem
ſui prærogatiuam; iudicandi nimirum de con-
ıerſijs Laicis Ciuilibus, & Criminalibus; nec
rimâ modò, ſed in ſecundâ, & tertiâ inſtan-
idque ſuaſi agendum eſſe vel ideò; quia eam
s dicundi inter Laicos prærogatiuam, ſolus
habet in vniuerſo Imperio Leodienſis Cle-

Poſtquam hæc dixeram, itum eſt in eam ſen-
tiam, vt verbis conceptis Clerus ſignificaret
enſibus, haud ſe vnquam receſſurum, ob
uis Prætorij eorum Cæſarei mandata, à priſcâ
ſuetudine vel iudicandi de cauſis merè Laicis
r Laicos, vel prouocandi poſt Officialis ſen-
tias ad Apoſtolicam Sedem, aut ad Colonien-
ı Metropolitanum. Poſtmodum in alio con-
ı, (cui præcipui è Clero, è Magiſtratu autem
i Conſulares, & Iuriſconſulti celebriores in-
uerunt perinde in Ædibus meis) ſancitum
E fuit,

fuit, vt Aduocati, Procuratores, Notarijque Leodienſis Curiæ, in poſterum iureiurando, ex formula ipſis præſcripta, pollicerentur; ſe Clientibus ſuis, perfugium ad Laica Tribunalia, poſt ſententias Eccleſiaſtici Iudicis, omni conatu adempturos. Quin etiam eo iureiurando Canonici Eccleſiæ Primariæ, ac Decani Secundarij Cleri, cùm omnes ſint Eccleſiaſtici Iudices, pariter ſe obſtrinxerunt.

Eodem tempore, ſcripſi ad Sereniſſimum Electorem Colonienſem, quippe Leodienſem Epiſcopum; vt negotium hoc tam graue, tam pertinens Serenitati Eius commendarem: in quo nimirum, non Apoſtolicæ Sedis magis, quàm ipſius ius conuelli videbatur. Siquidem illius propria Tribunalia ſunt ea, in quibus ius dicunt Leodienſis Officialis, & Metropolitanus Colonienſis.

Aduenerunt interea Litteræ Pontificiæ, quas rogatu meo impetrauerat Em.ª V.ª, ſcriptæ ad Eccleſiaſticos S. R. I. Electores, & ad Cæſarem etiam. Qui peculiariter datis ad Spirenſium Curiam epiſtolis; referri ad ſe de controuerſia illa maluit, & iuſſit ceſſare eos deinceps; donec quid facto opus, Viennæ ab ipſo definiretur. Atque

hæc

deliberatio, Leodij potuiſſet non parum Ec-
iæ, ac Sedis Apoſtolicæ iuriſdictionem ſtabi-
; niſi aliquanto poſt reuocaſſet Cæſar, quod
ſerat. Quocirca rurſus omni conatu propu-
re contra Spirenſes Tribunal Eccleſiæ de-
, & ita circumſpectè ius dicere, vt partes
æ ſententiam latam in Tribunali Apoſtolico
æquitati eſſe conſentaneam interpretaren-
neque ad Tribunal Laicum alterutra earum
locaret.

X V I.

Xtremo Autumno eius Anni, quo Leodium
veneram, quia cohortes Hiſpani Regis inſe-
unt Treuirenſem agrum; quò nimirum Archie-
opum Electorem varijs incommodis adigerēt,
deponendam adminiſtrationem Abbatiæ S.
imini: cuius titulum ei non ita pridem Sum-
s Pontifex cōtulerat: iuſſus ego ſum illùc pro-
ci, ſi quomodo potuiſſem efficere, vt Elector
abbatis titulo frueretur tranquillè; quando-
dem vitium habuerant Monachorum ſuffra-
, & res deuoluta erat ad Apoſtolicam Sedem,
ta Germaniæ Concordata.
earum partium verò erat excogitare, ac propo-

 nere

nere conſilium, quo ſatisfieret Ferdinando Cæſari, & Philippo Hiſpaniarum Regi: nam hi ambo intercesserant, ille vti Patronus Monaſterij, quod eſt membrum Imperij; hic vti Patronus Treuirenſium, ſimul & eiuſdem Monaſterij.

Cuſtodiebant Hiſpani milites Cœnobium ipſum, inſtar Caſtri; ſed & poſſeſſionem quam Elector adierat, Monachi reſpuerant; prouocauerantque ad Summum Pōtificem à Tribunali Rotæ Romanæ, in quo damnata ipſorum electio iam fuerat. Interim Electoris prædia & fundos, quos in ditione Luxemburgenſi habet, occupauerant Adminiſtri Regij, & metuendum ideò videbatur, ne idem Princeps Elector quid ſtatueret, quod Apoſtolicæ Sedi, eiusque honori minùs congruere videretur.

Quatriduo per Arduennam progreſſus fueram, cùm obuium habui Electorem, nobilemque eius comitatum, tertio fermè lapide, ab Oppidulo Vitliaci. Eò deductus, & exceptus argumentis obſequentiſſimæ voluntatis erga Sanctam Sedem; ſtatim propoſui conſilium neutri parti pœnitendum: videlicet, vt maneret Princeps Elector in munere, & titulo Proabbatis, nam pariter manſiſſet diſpoſitio Apoſtolica; atque vt ſimul Coad-

iuto-

:orem diceret, vel alium quempiam ex Mona-
is, vel illum ipſum, quem alioqui cum vitio
onachi elegerant; etenim Cæſar hoc pacto,
iſpanus Rex, & Monachi haud vereri potuiſ-
it, ne hoc S. Maximini Cœnobium, Treuiren-
Archiepiſcopi menſæ perpetuò addiceretur.
:uti fuerat ei addictum Prumiæ Cœnobium,
rinde opulentum,& Archiepiſcopo Anteceſſori
tum; etſi plenum erat antiquitate venerandâ,
ıdatum nimirum à Carolo Magno; nobilita-
n profeſſione religiosâ Imperatoris Lotharij,
i ex Cæſare Monachus, ibi decennium vitæ po-
emum exegit; & ſandalijs Chriſti Domini, a-
rumque Reliquiarum theſauro ditatum.
Res ita fuiſſet deliberata, niſi ea Bruxellis trac-
i priùs cum Sereniſſima Belgij Principe debuiſ-
Receſſi ego interim Vitliaco, ac veniens Tre-
os, S. Maximini Religioſos increpui, quòd
plorâſſent Laicæ poteſtatis patrocinia, & mo-
i æqui boni conſulerent deliberationem, quæ
ıxellis erat ineunda. Quin imò in eandem
ſuaſionem ſum conatus inducere Luxemburgi
mitem Berlemontium, Præfectum eius Pro-
ciæ, ac inſuper Præſidem Senatûs Regij, & pa-
r Religioſum illum, quem Treuiris Monachi

 Ab-

Digitized by Google

Abbatem ſcripſerant, nam hic interea Luxemburgi degebat.

Sed his conatibus meis defuit felicitas: cùm enim Bruxellis rem traherent, donec aliquid Cæſar, & Rex Catholicus ſtatuerent; miles verò Hiſpanus non excederet ab agro Treuirenſi; Elector tædio damni, quod graue admodum patiebatur, abdicauit ſe Abbatiæ adminiſtratione, ac me ſuadente honorem ad manus Summi Pontificis, à quo eumdem acceperat, reſtituit.

XVII.

CVm oborta fuiſſet controuerſia inter Herbipolenſem Epiſcopum, & Fuldenſem Antiſtitem; occaſione iuriſdictionis, quam ille vſurpabat in S. Sixti Præpoſituram, vtpote ſitam intrà limites propriæ diœceſeos, etſi membrum erat Abbatiæ Fuldenſis, & exempta ideò cenſebatur ab ordinariâ Epiſcopi poteſtate; dedi ad eos ambos finitimos Principes amicas epiſtolas, & ſum hortatus, vt animo eſſent mutuo, controuerſiamque dirimerent; cùm verò nihilominus eam ipſi non ſedarent, interceſſi auctoritate.

Voluit tunc Herbipolenſis Epiſcopus, Legationis

s meæ forum declinare ; quaſi ad Tribunal
cij Viennenſis Epiſcopatus eius , velut pars
rioris Germaniæ pertineret : ſed ego per
olas ſimul officioſas , & efficaces oſtendi; E-
›pos quoſque Suffraganeos , ad proprij Me-
ɔlitani legationem ſpectare ; niſi peculiariter
is Pontificijs ab eâ eximantur : proinde ip-
Epiſcopatum ſpectare ad Nuncium Rheni ,
ıem ſpectat Moguntinus Archiepiſcopus eius
:opolitanus.
:d & adieci; proceſſum Electi Epiſcopi Herbi-
nſis , à ſolo Nuncio Rheni formari conſue-
; hoc autem eſſe munus proprij Nuncij , in-
:i in Diplomate Gregorij XIV. Quocirca ag-
it ille ita eſſe ; finem controuerſiæ impoſuit ,
: eo ſponte ad me retulit , per litteras ſanè be-
›las. Sæpè etiam , vt diſpenſationes in gradi-
mpedientibus matrimonia impetrarem Ro-
perrogauit ; & aliquantò pòſt , vnum è Cõ-
ijs ſuis , causâ officiorum pariter , & negotio-
, ad me Leodium venire iuſſit.

XVIII.

)Snaburgi è viuis exceſſerat Cardinalis Hoen
Zolleren , ibidem Antiſtes ſanè vigilan-
tiſſi-

tiſſimus, & qui Ciuitatem, atque vniuerſam diœceſim reſtituere feliciſſimè iam incœperat. Vt Succeſſor idoneus ei daretur, Oratores illùc varij ſe contulerant; & alij Cæſaris filio, alij filio Alberti Ducis Bauari honorem illius Principatûs petebant.

Attamen etſi videbatur boni Oſnaburgenſis Eccleſiæ intereſſe, Epiſcopum ibi eligere, qui magnæ familiæ potentiâ poſſet eum Principatum tueri; quandoquidem Rex Danus diu pro Filio eundem ambiuerat; ſpes nihilominus potiundi Paſtore, qui adeſſet gregi ſuo, Canonicos induxit, vt Franciſcum Gulielmum Bauarum, Comitem à Wartemberg, & Virum ab indole, ab eruditione, à pietate, atque à morum cæterâ laude inſignem, præ alijs poſtularent.

Sedenim Confirmatio Apoſtolica, admonitu etiam Em[æ] V[æ], initio negari ei debuit; quia erat Sanctæ Sedis, iuxta Germaniæ Concordata, nouum Epiſcopum Oſnaburgi conſtituere; vbi nimirum Anteceſſor fuerat S. R. E. Cardinalis. Suberat verò exemplum recens: cùm ab obitu Philippi Bauari Cardinalis, & Epiſcopi Ratisbonenſis, comitia Canonicorum, quæ Sigiſmundum Fredericum Fuggherum elegerant, reſciſſa

Ferra-

rariæ,in Sacro Cardinalium Senatu à Clemen-
VIII. fel.record.fuerint: etſi poſtea eidem Vi-
, cæteroqui ſatis egregio, ea dignitas collata eſt
integro, velut ex beneficio ſolius Apoſtolicæ
:dis.

Durum id quidem Canonicis viſum eſt, ſed
uius fieri cœpit, ex quo ſimul ſuaſi, vt tantum-
em ſperarent de Summi Pontificis benignitate:
cut reipsâ euénit. Nam fuit honoris compos
rranciſcus Gulielmus Bauarus, euaſitque Antiſtes
par Anteceſſori ſuo.

Dedi operam deinde; vt Viennæ Imperator
quoque aboleret ſuffragia, in eum Principatum
violenter quæſita, Filio Regis Dani. Quem eun-
dem Regem paulò pòſt Comes Ioannes Tillius,
victum aliquoties, iterum memorabili prælio ad
Lutheram ſuperauit.

XIX.

DIſpenſauerat frequentiſſimè Colonienſis Archiepiſcopus, ſeu Generalis eius Vicarius; tum vt ſacri Ordines, ſi qui eis inaugurari citiùs deberent, extra conſueta tempora, conferrentur; tum vt inirentur matrimonia inter conſanguineos, & affines, tertio & quarto gradu

conſanguinitatis, vel affinitatis. Suberat verò ei perſuaſio, id ex veteri ſeu conſuetudine, ſeu prærogatiuâ licere: quod cùm ego tamen aduerſari ſacris Canonibus non ignorarem, ad Summum Pontificem de ea re cenſui referendum eſſe.

Tum verò reperti Romæ ſunt Codices indulti aliquoties conceſſi ad quinquennium, vel ab ineunte Pontificatu Pauli V. fauſtæ recordationis: quo tempore Vicarius alter Epiſcopatus Leodienſis fermè exauctoratus eſt; quoniam perinde auctoritate propriâ circa matrimonia diſpenſauerat; nec deinde indultum illud poſtremis annis fuerat renouatum. Ex quo conſtabat malè fuiſſe initiatos iiſdem Ordinibus, & malè nupſiſſe; quotquot vtriuſque impedimenti gratiam obtinuerant: & debere eos omnes ceſſare ab Ordinum exercitio, ceſſare à Matrimonij vſu, & conſcientiæ propriæ ſimul, atque honori liberorum conſulere.

Coloniæ ideò ſublatus eſt eiuſmodi prauus poteſtatis vſus; & tum ex mandato Em^æ^ V^æ^ cœpi perinde vrgere Leodij, ne Vicarius Epiſcopi agnatis, qui contingerent ſe antedictis conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, matrimouij veniam daret; ſiquidem & ipſe facultatis eius indul-

ſtum ab Apoſtolicâ Sede aliquoties habuerat;
od erat argumentum poteſtatis delegatæ, om-
mque præſcriptioni locum ei adimebat.

Hinc verò factum eſt, vt Colonienſis Elector
m vtramque poteſtatem ſupplex à Summo Pō-
ice petierit, & ad ſeptennium impetrauerit, pro
rchidiœceſi Colonienſi pariter, & pro Diœceſi
eodienſi.

XX.

IOannes Swicardus, Archiepiſcopus Elector Moguntinus, & S. R. I. in Germania Archicancellarius, ſenio & meritis plenus, diem vitæ poſtremum obierat: & contuleram ideò me Moguntiam, ad Succeſſoris electionem; habueramque obuium, extra Moguntinam Vrbem, cum aliquot Rhedis, Magnum Decanum, & alios Canonicos. Sed quia dilata electio in longiorem diem fuerat, vt ij qui aberant Canonici, poſſent redire, atque intereſſe Comitijs; Aſchaffemburgi Palatium inuiſere interea temporis potui: itaque Moguntia digrediens, tranſmiſſo Rheno, Seligenſtadium veni.

Ea eſt vetus Abbatia Ordinis S. Benedicti, fundata ab Eginharto Caroli Magni Cancellario, qui

 cum

cum Coniuge ſua eiuſdem Caroli Magni filiâ ibidem in ipſo Templi Odæo tumulum habet.

Poſtridie Aſchaffemburgum adij, & ſtructuram Palatij nobilem ac peramplam ſpectaui, è quadrato lapide, cum foſſa, turribus, & munimentis. Cùm autem Rheda veniſſem, nauigio reuerti ſecundo Mœno. Sed aura eo die aduerſa nauigationem adeò retardauit, vt Francofurtum nautæ ſeriùs nauem appulerint. Clauſæ Ciuitatis portæ iam erant; ideoque cogi Senatum oportuit, vt deliberaret de admiſſione: quod ad ſpatium horarium factum eſt, venitque alter Conſulum cum cohorte Ciuium armatâ, vt me introduceret. Res verò mira omnibus viſa eſt, dum id noctis erat, in Vrbem Hæreticam admitti tam honorificè Apoſtolicum Legatum. Cùm ibi ſit ſancitum, ne poſtquam tenebræ ingruerint, cuiuis vel Principi portæ Ciuitatis aperiantur.

Cùm inſtarent Comitia, & triduo pòſt eſſent habenda, ſub conopæo ſedens, in conſeſſu Canonicorum ego parænefim habui: & fuit ea omnium veneratio, vt dicentem audierint aperto capite, nec tametſi rogati ſæpiùs tegere voluerint. In qua ſignificatione obſequij manſerunt, dum eorum nomine Magnus Decanus gratias ageret, ac

face-

faceret ſpem electionis optimæ.

Pro ſucceſſu eiuſdem Electionis indixi Moguntiæ publicas preces, ſed & Canonicos, qui numero quatuor ac viceni ſuffragij ius habebant induxi, vt in Sacrificio Miſſæ, in quo ego Spiritûs Sancti opem eram imploraturus, præmiſsâ exomologeſi, ſacram Synaxim ſumerent. Futurum enim ominabar, vt receptus animo Deus, ſecreto conſilio ſuggereret, quemnam præ alijs eligi oporteret. Porrò, etſi hoc viſum omnibus eſt inuſitatum, ac nouum; neſcio, conſenſerint promptiùs, an quod ſuaſueram, fuerint exſecuti reuerentiùs.

Aliquantò ante ipſam electionem, quoniam perſenſeram Archiepiſcopum deſignari à plurimis eum, qui erat Epiſcopus Wormatienſis, & Moguntiæ Præpoſitus, eundem adiui, ac ſum hortatus, vt daret conſenſum de ſe: & quoniam à modeſtia, & à metu oneris imponendi difficiliorem eum reperi; eò impendi efficaciùs perſuaſiones meas, & conſenſum denique impetraui.

Adfuit itaque dies electionis, & dum Canonici in Comitio erant, ego ac duo Cæſarei Oratores in Odæi ſubſellijs ornatis periſtromate ſedimus; donec Magnus Decanus ex conclaui egreſ-

ſus, priuatim Nobis, ac dein è ſuperiori loco ſemel Latinè, iterum Germanicè populo nunciauit; Electum, viâ Spiritus Sancti, Archiepiſcopum Electorem & Principem Moguntinum fuiſſe, Georgium Fredericum, antea vt dixi Wormatiæ Antiſtitem, & Moguntiæ Præpoſitum. Mox Canonici, ita, vt erant linteati, cum inſignibus ſuis eum deduxêre ad maximum Altare, ac in eo ſedenti obſequium exhibuerunt.

Redeunti ex Arâ principe, in Odæo ipſo, ego primus, poſtea Cæſarei Oratores, gratulati ſumus; tum inſcenſis Rhedis (in quarum prima mecum erant ijdem Oratores Cæſarei, & in proxima nouus Princeps, ac Primores è Clero, in alijs Canonici omnes, ordine ſuo) itum eſt ad Palatium, inter explodentes plaudentesque totâ Vrbe milites; cùm Rhedas agmine pedeſtri antecederent Nobiles Aulæ; & vbique populi admurmuratio lætiſſima conſonaret.

In mensâ ſummi conuiuæ eramus ego, atque vnus ex Oratoribus Cæſareis: ad latus Menſæ hinc Elector, illinc Orator alius aſſederunt, & ponè illos ſeries vtrimque Canonicorum, ac nonnullorum Comitum erat: circumaſtabant Nobiles Viri, quotquot venerant ad noui Principis electionem;

Digitized by Google

nem; ſed ſtatim à primo miſſu, menſæ ibidem cuncti, ſed ſeorſim, accubuerunt.

Poſtridie ſum auſpicatus electionis proceſſum, & triduo in Commentarios omnia retuli; monitaq́ue dedi inſuper in codice ſcripta nouo Principi, quæ ad optimum regimen Eccleſiæ Moguntinæ mihi videbantur poſſe conducere. Habitus verò ſum ab ipſo Electore in Aulâ eius tam honorificè, vt potuerim iam tum conijcere, ita prorſus futurum, quemadmodum pollicebatur: cùm diceret mihi abeunti, ſuperaturum ſe Anteceſſores, in obſequij reuerentiâ erga S. Sedem.

Etſi autem conabatur me diutiùs retinere, vtpote qui affirmabat, videri ſibi Sanctum Petrum in Ædibus eſſe, dum ego aderam Apoſtolicus Legatus; quanto maturius potui, ſolui Moguntiâ, & ſecundo Rheno deſcendi Coloniam: eò deductus à Nobili Viro, cum naui, & omni commeatu, ex mandato eiuſdem noui Principis Electoris.

Coloniæ alter Elector Sereniſſimus Ferdinandus Bauarus, in Carthuſia diſſimulato habitu poſtridie ab aduẽtu me conuẽnit; nam ad eum mutui alloquij locum, ex Brula manſione ſuburbanâ ſponte aduenerat. Demum Leodium ſoſpes, inter pericula tamen aliqua, remeaui.

XXI.

XXI.

VAcauerat Menſe Pontificio Sacerdotium, ſeu Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ Mindenſis, in quâ partim Catholici, partim Hæretici erant ij, qui Sacerdotia, ſeu Canonicatus obtinebant: ideò ſuas quique opes, ſuamque augere factionem; vt numero ſuperarent, & ſuæ profeſſionis Epiſcopum ibi demum eligerent. Catholicis Præpoſitus, & Scholaſticus; Decanus Hæreticis præerant; & ad horum partes acceſſerant recenter Filius Regis Dani, Filius Ducis Holſatiæ, ac Filius Ducis Luneburgi.

Catholicos hi ſuperabant potiſſimùm aſtu; cælando nimirum obitum Canonicorum, qui in Menſe Apoſtolico deſiderabantur: ita temporis beneficio malè vſi aliquem ſemper ex propria ſecta ſubrogabant, euoluto menſium trium interuallo; ſi Mindæ poſſeſſio non adiretur interim ab alio; qui Romæ Sacerdotium impetrâſſet, nec litteræ Collationis Pontificiæ inſinuarentur.

De eâ re Præpoſitus ad me ſcripſit, vt tantæ iacturæ obuiam iretur. Suaſit verò; conferrem ego potiùs Canonicatum, qui tunc fortè in Menſe Apoſtolico vacauerat: alioqui ominabatur futurũ,

vt ſpatio trimeſtri circumacto, vni è Sectarijs conferretur. Contuli ego itaque Sacerdotium Viro Nobili, & Catholico; conſiliumque adprobauit Summus Pontifex; qui & annuit mihi illud etiam petenti, vt diſtribuerem deinceps in Menſe Apoſtolico Sacerdotia earum Eccleſiarum, quæ ſuberant Hæretico Adminiſtratori; eâ lege tamen, vt Romæ iterum gratia peteretur.

Res ceſſit ex voto; neque id Mindæ ſolùm egi, ſed Magdeburgi, Halberſtadij, Lubecæ, Hamburgi, Hammeliæ: & peculiariter Mindæ, quatuor Viris Catholicis dedi Sacerdotia, ſeu Canonicatus; cumque obijſſet in Hæreſi Decanus, vti auctus iam erat numerus Catholicorum, faciliùs tunc per epiſtolam interpretem effeci, vt ea dignitas ad Catholicos rediret. Quocirca feliciter Mindæ factio Canonicorum Hæreſi affecta ſenſim cœpit ſubſidio huius ſolertiæ debilitari.

XXII.

IOannes Bernardus Fuldenſis Abbas, & S. R. I. Princeps, ſuperans magnitudine animi Anteceſſorum ſuorum pericula; qui perpeſſi exilia, & incommoda ſumma fuerant; vt Fuldenſis Cœnobij celeberrimi reſtituerent antiquam gloriam; at-

que adeò partim ſponte ſuâ, partim adhortationibus Vrbani Pontificis, Ferdinandi Cæſaris, ac Eleonoræ Auguſtæ inductus, vt aſſereret in priſtinum omnia; primò quandam veluti coloniam Religioſorum, ex Cœnobio S. Galli, Fuldam inuitauerat. Etenim Fuldenſis Abbatia, quæ Monachos S. Benedicti ampliùs trecentos olim aluit, vel ijs iam carebat, qui Diuina in Templo munia poſſent obire. Profectus verò ipſemet ad S. Galli Cœnobium in Rhetiam fuerat, & ibi re communicatâ cum Antiſtite, qui eſt pariter S. R. I. Princeps, ſeptem Religioſos Profeſſos, ac Tyrones decem, in ſpem familiæ numeroſioris, obtinuerat.

Curauit deinde mihi à Sãctiſſimo iniungi Abbatiæ ſuæ Apoſtolicam viſitationẽ; & cùm Leodio illùc immigraſſem itinere plurium dierũ, pro me, ac pro familiâ ad Mœnum vſque Rhedas miſit; naui enim eò aſcenderam, fuitque obuius ad limites propriæ ditionis, cum inſigni Virorum Nobilium comitatu, atque ad ſuburbanum Palatium, quod Nehouium appellant, primùm duxit. Ibi poſtridie ab aduentu manſi, dum Viſitatio interim Fuldæ indiceretur; atque hanc Vrbem perendie intraui, dum eam perſtrepentibus

bus tympanis, explicatis vexillis, & frequentibus exploſionibus, copioſus miles, plauſu ingenti repleret. Augebant autem honorem eruditæ ſalutationes Iuuenum Nobilium, præſertim è Seminario Pontificio; etenim hi in choros varios diſtributi, habituque & omni elegantiâ conſpicui, ſubinde aduenienti gratulabantur.

Inter eos plauſus ad Palatium Abbatis perueni, & paulò pòſt cum Legati togâ ad Templum contuli me: vbi pro foribus me opperiebatur idem Abbas, ornatus compluuiatâ veſte prædiuite, gemmatiſque infulis, & argenteo lituo; aderantque Decanus, Præpoſiti, & Religioſi omnes.

Vix acceſſeram, cùm Abbas cidarim poſuit; & capite aperto præbuit mihi exoſculandam Crucem: mox & aſpergillum dedit, vt irrorarem circumſtantem populum; denique thuribulo arrepto, mihi ter odorem pium adoleuit. Poſt hæc ſub vmbella proceſſi ad ſummum Altare, & in eo publicè, poſt ſolemnes preces Hymnoſque perlitaui. Peractâ mox re Diuinâ, in ſecreto conſeſſu, vbi Abbas dumtaxat, Decanus, Præpoſiti, ac Religioſi aderant, iuſſi à Scribâ recita-

ri litteras Pontificias, & Latinè inſuper dixi, vt eorumdem animos præpararem, ad Viſitationem Apoſtolicam; quam poſtridie ſum auſpicatus, ineunte Quintili Menſe, & non niſi eo exeunte demum abſolui.

Feſtis diebus venêre Fuldam integri ac plures pagi, cum labaris & inſignibus proprijs, vt chriſmate ſacro, etiam in prouectâ ætate & ſenio, confirmarentur; adeò fuerat inter eos huius Sacramēti ſuſcipiendi ſerum conſilium, inter pericula Hæreſis propinquæ; quod vehementer ſum admiratus.

Inter decreta, quæ ſanciui, vt reducerem in Fuldenſem Familiam antiquos mores, hæc potiſſimùm fuêre. Stemmata Nobilitatis ſexdecim requirebantur in ijs Religioſis, qui erant futuri compotes dignitatum; ſed ea ego redegi ad dimidio pauciora; ac ſuſtuli abuſum, ex quo, cùm nimiùm arctaretur numerus Religioſorum Nobilium, fiebat deinde, vt pauci admodum, nec ij ſæpè optimi, haberent ius ſuffragij, rerumq́ue ſoli potirentur. Abrogaui leges, quæ Præpoſitis dabant facultatem condendi teſtamenta. Ademi eiſdem Præpoſitis deinceps vſum Damaſcenæ, atque holoſericæ veſtis: prohibuiq́ue, ne inter

mino-

minores Monachos pullatos, & togatos, ipſi candidati, & linteati aſſiderent in Odæo. Ordinaui eorum Comitia, ſeu eſſent electiones habendæ, ſeu communibus calculis deliberationes ineundæ. Prouentus Præpoſitorum ita diſtribui, vt pars ipſos alat, cum familia modeſta; pars Templum, atque ædes collapſas reſtauret; pars Monachos ſuſtentet in Præpoſituris; in quibus nimirum, ſi vnam exceperim, plane illi deſiderabantur. Quin etiam, grauibus pœnis propoſitis, præſcripſi eis vitæ honeſtatem, quam inter eos vtinam laudare potuiſſem.

Cæterùm omnia decretorum capita, numero fermè octoginta, Præpoſitis prælegenda, & conſideranda dederam; & ſuperaueram ipſorum querimonias, detrectantium nonnulla, quæ in decretis caſtigare morum licentiam ſeueriùs videbantur. Tandem ea per Scribam Monaſterij promulgaui publicè in Templo, ex ipſo Aræ maioris gradu; cùm adeſſem ego in ſolio; aſſiderent Abbas, Decanus, Præpoſiti, & Religioſi; & circumſtaret Vniuerſus populus Fuldenſis.

Receſſi Fuldâ, cum eadem ſignificatione honoris, & Ciuitatem omnino hilarem reliqui; nam diù gaudium illud exoptauerat; nempe, vt in Mo-

naſterio Fuldenſi aliquando ſtabiliri formam optimam videret. Abbas ipſe, qui eſt Princeps Imperij, Archicancellarius Auguſtæ, & Primas Ordinis S. Benedicti in Germania, Galliaque, nullam erga me rationem officij, vel obſequij prætermiſerat; nam etiam dum irem ad Sacellum quotidie celebraturus, inter Aſſeclas, qui præcedebant honoris ergo, ipſe aderat ſemper egreſſibus meis. In menſa verò aſſidere aperto capite ſtatuerat, feciſſetque; niſi ego prohibuiſſem. Poſtea tanto cum ardore amplexus eſt Religioſæ vitæ formam illam, quam præſcripſeram, iuxta primæuum inſtitutum S. Benedicti; vt & Tyrones plurimos tranſcripſerit illicò in Familiam Fuldenſem, & abſque vllo veſtium diſcrimine, ex Principe Monachus, ſupplicationes publicas inter ſuos frequentârit.

Inuiſeram etiam Fuldæ Seminarium Pontificium, in quo multi Nobiles Iuuenes, ex Apoſtolicæ Sedis ærario aluntur: & quia deprehenderam Bullam erectionis eiuſdem Seminarij antehac nullam fuiſſe; dedi operam, vt Sacra Congregatio de Propagandâ Fide illam à Sanctiſſimo impetraret: ſemper verò ſollicitus fui, de Iuuenum eorumdem profectu in litteris, & Catho-

lica

licâ pietate; ne fruſtra ſit Apoſtolicæ Sedis ea liberalitas; ſed ſanam Religionem, & mores probos in Patriam referant, Hæreſi ſpretâ vel abiuratâ.

XXIII.

HAud ita multò pòſt à reditu ex Viſitatione Fuldenſi, auſpicatus ſum magni Leodienſis Epiſcopatûs alteram viſitationem, inſtructus ad eam pariter litteris Pontificijs. Conſilium hoc verò dedit exemptio Cleri tam Primarij, quàm Secundarij; neuter enim ſubeſt Epiſcopi ordinariæ poteſtati; & ideò niſi aliquando inſpectionem habeant Nuncij Apoſtolici, poſſet ſenſim labi diſciplina Eccleſiaſticorum in Ciuitate ac Diœceſi, quam haud planè incongruè ab opibus, & à numero Canonicorum appellauit nonnemo Paradiſum Cleri. Viſitationem itaque indixi, & de eâ inſuper ad Sereniſſimum Electorem Colonienſem ſcripſi, rogauique; vt quia erat ſimul Leodij Epiſcopus ac Princeps, ſi quæ fortè cuperet emendari, ea ſtatim inſinuaret. Et obſecundauit Serenitas Eius ab hac parte deſiderio meo.

Deliberatâ interim die, in quâ Viſitationem

eram

eram auſpicaturus, ad Ædes meas venêre cum Rhedis, vt me honoris causâ deducerent, Magnus Decanus, & duo Archidiaconi, (quorum alter erat Cancellarius Sereniſſimi Principis) atque alij Canonici Eccleſiæ Primariæ. In veſtibulo ipſo maioris Templi reperi Canonicos cæteros linteatos, cum Cruce, & inſignibus eorum; ibique exceptus ſum à Magno Decano, præbente Iconem Crucifixi, vt eam exoſcularer; & aſpergillum, vt rore aquæ luſtralis alios perfunderem; ac demum offerente odorem pium. Mox ad Aram iui, & ibi poſt preces atque hymnos, peregi rem ſacram, poſteaque in conſeſſu Canonicorum, lectis à Scribâ litteris Pontificijs, Latinam ad eos parænesim habui.

Id egi perinde Leodij, tum in ſeptem alijs Collegijs Canonicorum, tum in Religioſorum Cœnobijs; excepto quod Sanctimoniales alius adhortari idiomate Gallico debuerit. In Templis deinde inſpexi Altaria, Venerabilis Euchariſtiæ & Sacrarum Reliquiarum conditoria; in Cella verò Æditui vaſa ſacra, rem Veſtiariam, & vtenſilia omnia. Adhæc ſingulos Canonicos interrogaui ſeorſim: quò ita gnarus eorum, quæ debuiſſent meliora eſſe, certius vbique conſentanea decernerem.

nerem.

Sunt in Æde Primariâ Canonici LX. & percipiunt quotannis Philippicos amplius D. Subſunt eiſdem Canonicis, in eâ ipsâ Æde Primariâ, duo item Collegia minora; & in eorum altero Canonici XIII. in altero XI. cenſentur; præter Sacellanos, ac Vicarios plurimos.

Singula dein è Septenis Collegijs Cleri Secundarij eiuſdem Ciuitatis Leodienſis enumerant Canonicos XXX. qui copioſos prouentus annuè percipiunt; hoc eſt, Philippicos CCC. aut non pauciores CC. Singulæ item eorum Eccleſiæ Sacerdotes minores, numero ſatis magno, Phonaſcum, & Cantores ſuos habent, qui non piè modò, ſed ex arte etiam ac ſuauiter Diuinas laudes emodulentur.

Quod ſpectat ad Religioſorum Familias, partim in Ciuitate Leodienſi, partim in Suburbijs eius, Virorum Abbatias quinque, Sanctimonialium duas viſitaui. Poſt hæc in priori profectione, ad eum tractum, quem alluunt amnes gemini Moſa, & Sabis, adiui Abbatias Virorum quinque, Sanctimonialium vnam, præter Collegia Canonicorum ſeptem: in profectione autem poſteriori ad Hasbaniæ, Campiniæ, Condruſij re-

giones, Abbatias Virorum quinas, Sanctimonialium nouenas, præter nouena item Canonicorum Collegia inſpexi: & tamen ſuperfuerunt adhuc alia, ſeu Cleri Collegia, ſeu Religioſorum Cœnobia, quæ ob temporis penuriam adire non potui; vt hinc æſtimare ſit amplitudinem Diœceſeos Leodienſis. Fuit hæc nihilominus olim multò amplior; nam Epiſcopatus finitimos Namurci, Ruræmundæ, Syluæ-Ducis, atque Mechliniæ, collatis Parœcijs ampliùs quingentis, magnâ ex parte auxit, ac ferè dixerim conſtituit: quando Paulus IV. fel. record. rogante Philippo II. Hiſpaniarum Rege, cum incredibili Religionis bono, in Prouincijs Belgij, nouos eos Epiſcopatus erexit.

Præcipuè in decretis reſtitutus à me honor fuit Venerabili Sacramento Euchariſtiæ; cùm extra Altaria vt plurimùm, & in loculamentis marmoreis iuxta parietem ſitis, attineretur; & cùm ei paſſim deeſſent lychni puriores, atque ante ipſum interdiu, noctuque iuge lumen deſideraretur. Iuſſi etiam lipſanothecas innouari, cuſtodirique eas in armarijs idoneis; ne ex humiditate aut ſitu putreſcerent. Suſtuli inſuper alicubi ſacras pyxides, & Sacrificij vaſa è ſtanno;

no; altarium verò nuditatem prohibens, tegi ea inſtructu decenti, & ternis lineis mappis præparari ad Sacrificium iuſſi; atque ardere in eis, dum litaretur, cereas binas faces præcepi.

Canonicis eſt à me impoſita neceſſitas, vt ex Sacri Concilij Tridentini præſcripto, ad menſes conſtitutos reſideant; & vt tempore præfinito perſtent in Odæo; nam hoc intrare, ac ſtatim abire, dum vna ex maioribus Horis caneretur, iudicabant abundè videri poſſe, vt cenſerentur eo die reſidere. Imò in Oppido tantùm eſſe, rebantur alicubi ſufficere ad reſidendum; tametſi Eccleſiam, vel Odæum reipsâ non frequentarent. Ad hæc induxi vſum quotidianarum diſtributionum; pacta item ac ſordes, in diſtribuendis honoribus, denuò interdixi; in eosque omnes animaduerti, qui ſe ac Ordinem Cleri, vel impudicitiâ, vel vino & crapulâ polluerant.

Inter Religioſos dedi operam in primis, vt qui compotes libertatis eſſe non debent, ijdem ſimul ſint extra ſeruitutem, mediamque, hoc eſt auream Filiorum ſubiectionem experiantur. Etenim qui eis præſunt, cùm ſint perpetui in munere gubernandi, Dominum plærumque,

 quàm

quàm Præſulem & Parentem agebant; cumque ipſi viuerent lautè ac ſuauiter, ſuos Religioſos arctè contenteque habebant: ægris verò atque affectis cibos communes ac vulgares apponi, non patiebantur modò, ſed interdum etiam iubebant.

Pro Sanctimonialibus, Cœnobij ſepta cuſtodiri, eâ ſaltem lege iuſſi; vt aditus ad eas, vel dum ſanæ ſunt, vel dum oblangueſcunt, ne Parentibus quidem aut Conſanguineis pateat. Præfiniui numerum earum, quas admitti abſque dote oporteat; atque inſuper vetui, ne quando iuniores aut veſtiuntur, aut emittunt Profeſſionis vota, ſint in communi epulo cum Laicis; item ne Fidicines & Symphoniaci perſtrepant in conuiuijs earum; néve tum ipſæ, tum conuiuæ alij choreas ducant: quod fiebat antea in tridui conuiuio, haud ſine periculo videlicet, ne dum leuiter micarent pedibus, grauiter, quod ad honeſtatem pertinet, laberentur.

Cæterùm dum circumirem obeundo Apoſtolicam Viſitationem, rogatus à Sereniſſimo Epiſcopo ac Principe Leodienſi (quoniam adeſſent conſuetæ feriæ quatuor temporum) initiaui plurimos Ordinibus ſacris; adultos verò vtriuſque ſexûs frequentiſſimè inunxi Chriſmate ſacro, & ad

mul-

multas quidem myriades in toto Epiſcopatu magno Leodienſi. Id etiam egi potiſſimùm Aquiſgrani, toto fermè triduo; cùm eò conceſſiſſem, vt nouum Templum Collegij Societatis IESV ſolemni ritu inaugurarem.

Sed & ibi eâ occaſione, ad ſacrum Eccleſiæ primariæ Senatum, parænesim Latinam habui; & ſum hortatus ad Cleri mores laudatiſſimos profeſſione conſtanti retinendos; in Vrbe nimirum, intrà cuius mœnia ſimul Hæretici degunt: qui vti Catholicos quoſque auerſantur, ità vehementiùs carpunt, remordent, & criminantur vitam Eccleſiaſticorum.

XXIV.

SEreniſſimus Wolfgangus Gulielmus Bauarus, Comes Palatinus, & Dux Neoburgi, Hæresque Ioannis Gulielmi, Ducis Cliuiæ Iuliæ ac Montium, quoniam has ditiones, auxilio Hiſpanorum, ex æquo fermè obtinet, cum Marchione Brandenburgico S. R. I. Electore, nam is Hæredem ſe perinde fecit vi & armis Batauorum; Dux, inquam, Neoburgi Eccleſias duas Oppidi Veſalienſis, poſt pacta Paſſauienſia, Catholicis ereptas, prâuisque ritibus Hæreticorum diù con-

taminatas, receperat me hortante, ac monente, atque eas Ordini Præmonſtratenſium reſtituerat. Ideò Hæretici, vtpote qui Veſaliæ nihil violenter tentare auderent, in qua nimirum Vrbe ſtatio ad Rhenum opportuniſſima militum Hiſpanorum erat, Eccleſias Catholicorum Embricæ, ac Reſæ occupârunt; cùm in ijs Oppidis Bataui præſidiarij, pro Marchione Brandeburgico S.R.I. Septemuiro rerum potirentur.

Tunc exorti gemitus ſunt, & graues querimoniæ in primis Eccleſiaſticorum, ob iacturam inenarrabilem octo Eccleſiarum, in quibus neque opes, neque cultus, neque Clerus deſiderabantur; & quarum comparatione haud videbantur lucro apponi poſſe receptæ aliæ duæ in Veſaliæ Oppido Eccleſiæ, vtpote orbæ, nudæque ab omni eo cultu atque ſplendore Reſenſium, ac Embricenſium octo Eccleſiarum. Quocirca tum Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, in cuius Archidiœceſi ſunt ditiones Iuliæ Cliuiæ ac Montium, tum Ferdinandus Imperator, rati haud emendas fuiſſe tanti Eccleſias illas Veſalienſes; in rem fore arbitrati ſunt, vt eædem Eccleſiæ duæ Veſalienſes reſtituerentur Hæreticis: ſiquidem ij reſtituere viciſſim octo Eccleſias alias Reſenſes &

Embri-

Embricenſes planè ſtatuerant.

Conſuluerunt me illico Dux Neoburgi, & Decanus Reſenſis, qui à Clero Cliuiæ ad me Leodium venerat. Suaſi verò, vt Summi Pontificis oraculum, & Sacræ Congregationis ſententia expectaretur: ſed & inſinuaui, credere me, haud poſſe reſponſum aliud expectari ex Vrbe, quàm vt retinerentur Eccleſiæ Veſalienſes. Nec enim hæ, abſque grauis noxæ piaculo, proſtitui rurſus poterant damnatis Hæreticorum ritibus; tametſi ſpes foret octo alias Eccleſias recuperandi; cùm non ſint facienda mala, vt eueniant bona.

Porrò in hâc me ſententiâ confirmârunt exempla; tum Diui Athanaſij, cuijlaudi magnę tribuitur, quòd Conſtantium Imperatorem Arianum, eiusque petitionem eluſerit, dum is Arianę ſectę concedi Eccleſiam ritûs Catholici peroptaret; tum S. Ioannis Papę & Martyris, qui à Theodorico Ariano Rege coactus legationem ſuſcipere ad Iuſtinum Imperatorem Conſtantinopolitanum, etſi alter minabatur ſe Catholicis erepturum omnia Templa in Occidente, niſi Templa in Orientę Arianis erepta reſtitui eiſdem curaret; adeò non eſt permotus ijs minis; vt noua potiùs Tem-

Baron. tom. 3. ad An. Chriſti 349. Sozom. lib. 3. c. 19. Socrates lib. 2. c. 18. Theodor. l. 2. c. 12. Baron. tom. 7. ad An. Chriſti 525. & 526.

pla

pla Arianis rurſus erepta inaugurauerit ritu Catholico. Quam ob cauſam Rauennæ carcerem, & in eius pædore illuſtrem obitum deinde perpeſſus eſt.

Nec videbatur mihi diſſimile illud, quod videlicet S. Gregorius Magnus (poſtquam Epiſcopum Panormitanum redarguerat, quoniam Synagogam Iudæis ademiſſet, vt initiaret eam ritibus ſacris) maluerit Iudæis pretium repræſentari, vt Synagogam nouam extruerent, quàm eis veterem reddi: *quia*, inquit, *quod ſemel conſecratum eſt, Iudæis vltra non valet reſtitui*.

Epiſt. l. 7. Ep. 58.

Poſtmodum eadem reipsâ fuit mens Summi Pontificis, ac Sacræ Congregationis: ideoque Ducem Neoburgi ſum adhortatus; acquieſceret deliberationi, pateretúrque Veſalienſes Eccleſias à Præmonſtratenſium Ordine retineri.

Haud fuit tamen diutina earum poſſeſſio; quia in eius Anni extremâ æſtate, Bataui Veſaliam in poteſtate habuerunt, cum ingenti prædâ. Nam ibi opes, & impedimenta, atque annonam exercitus gemini, alter Hiſpani Regis, alter Ferdinandi Cæſaris depoſuerant; quando Velauiam ingreſſi hoſtium regionem vniuerſam, patefacto eo aditu, exterruerunt; ea ſaltem armorum diuerſio-

ne,

ne Syluam-Ducis, quarto iam menſe à Batauis obſeſſam, liberaturi. Neque ij conatus ſucceſſu caruiſſent; niſi cadens Veſalia, munitiſſimam eam alteram Vrbem, ſuâ inuoluiſſet ruina; & niſi Catholici ambo exercitus, ob luem & famem ingraueſcentem, à cœptis tam glorioſis ceſſare, in ipſo limine victoriæ, debuiſſent.

XXV.

IN eâdem æſtate obierat Georgius Fridericus Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus, ac ſimul Eccleſiæ Wormatienſis Antiſtes, Vir ſummæ integritatis, eiusque laudis in œconomiâ; vt ſuum ab alieno ære Principatum non mediocriter, ſolo ſpatio triennij, liberauerit: etiamſi familiam copioſam aleret, annuaque ſtipendia exercitui Confœderationis Catholicæ liberaliter ſuppeditaret. Moguntiam itaque ſum profectus, ſextoque itineris die ad Rhenum veni; cùm æſtas eo anno, præter morem regionis Septentrionariæ, ferueret maximè, nec hoſpitia conſentanea inuenirentur. Bingę exceptus nomine Magni Decani Moguntini, nauigio indidem aſcendi aduerſo Rheno Moguntiam. Vbi cùm eodem honore admiſſus, ac tractatus fuerim, quemadmodum & alterâ vi-

ce, nihil habeo peculiare admodum, quod memorem; niſi Viennâ eò veniſſe in equis prædiſpoſitis Comitem Schwarzemberg Equitem Velleris aurei, & Oratorem Cæſareum; me verò perinde, atque antea egeram, Canonicos fuiſſe adhortatum, vt in ſuffragijs ferendis conſcientiæ, nõ affectui, aut neceſſitudini cuiuis alteri, ſeruirent.

Electus autẽ eſt Anſelmus Caſimirus à Wambolt, de quo erat expectatio magna: cùm eloquens Vir in Germanico idiomate haberetur, & functus aliquoties legationibus, negotia publica prudenter ac feliciter confeciſſet. Fuit autem notabile, hunc Anſelmum Caſimirum, & binos Anteceſſores eius Georgium Fridericum, ac Ioannem Swicardum ex Collegio Germanico, quod fundauit Romæ Gregorius XIII. prodijſſe, ac meruiſſe primam inter S. R. I. Proceres dignitatem.

Dedi eo tempore pariter ad Decanum, & Canonicos Eccleſiæ Wormatienſis, epiſtolas adhortatorias; vt quia Antiſtes eorum etiam deſiderabatur, eligerent Succeſſorem idoneum; fuitque ibi electus Georgius Antonius à Rodenſtein Sacerdos, & Vir vitæ Ordini ſacro admodum conſentaneæ. Induci à me tamen debuit, vt daret con-

ſen-

Digitized by Google

ſenſum de ſe, ſuſciperetque regimen Eccleſiæ; quam vtique finitimi Principes Hæretici, & præcipuè Comes Palatinus, violentiâ & populatione aſſiduâ exhauſerant, & reliquerant ferè ſine omni dote.

XXVI.

MOguntiâ Leodium repetens flexi Heinſbergam, Oppidum Ditionis Iuliacenſis; vt viſitarem ibi Parthenium Cœnobium Ordinis S. Nortberti, auctoritate Apoſtolicâ, quam peculiares litteræ Pontificiæ mihi contulerant; & vt ad inſtituti primæui normam Sodalitium illud Sanctimonialium Nobilium reducerem. Inſpectione habitâ, & ſancitis legibus, quæ in rem fore mihi videbantur, pro aſſerendâ diſciplinâ ſolùm, iuxta præſentem earum ſtatum; quoniam ſatis gnarus eram, in Sacro Rotæ Romanæ Tribunali, agitari cauſam Cœnobiorum Lotharingiæ, eiuſdem Ordinis S. Nortberti, aſpirantium ad inſtituti primæui laudem: exiſtimaui poſſe magis Heinsbergenſi familiæ conducere; vt expectaret, donec aliquid Romæ decerneretur; atque ideò ad Summum Pōtificem de eo in primis puncto eſſe referendum, cenſui.

Quò dein in tranquillo eſſet Monaſterium, caui; ne aut ipſa Præſes, aut Sanctimoniales, quæ cum eâ incenſæ fuerant ſtudio veteris diſciplinæ, quidquam incommodi paterentur. Nihilominus Abbas Kneckſtedenſis, cui Monaſterium ſubeſt, ac ſimul Heinsbergenſis Præpoſitus acerbè, in Præſidem præcipuè, inuehi ac proſcindere publicè famam eius veriti non fuerunt. Sed & de illa exauctoranda, poſt abitum meum egerunt: etſi promulgationi decretorum meorum interfuerant ambo, & adprobauerant omnia.

Vt id autem flueret magis ex eorum ſententia, & conſilium initum tegeretur, deuocârunt ex Flandriæ Prouincia Ninouienſem Abbatem; qui vſus poteſtate Generalis Viſitatoris, confictiſque in Præſidem calumnijs fidem præſtans, in ordinem redigeret ipſam; & alias Sanctimoniales, quotquot ei morem geſſerant, exagitaret. Ego, re compertâ, monui aliquoties, vt quæ iniquiùs ſtatuerat Viſitator, ea reuocarentur: cumque irrita eſſent ea monita, miſi Heinsbergam Apoſtolicos Commiſſarios, qui acta Ninouienſis Abbatis reſcinderent, atque Antiſtitæ honorem priſtinum reſtituerent. Kneckſtedenſis Abbas, Heinsbergenſis Præpoſitus, & Sanctimoniales aliquæ rebelles

Digitized by Google

belles obtemperare nihilominus recusârunt. Quocirca imploraui brachium ſæculare Sereniſſimi Ducis Neoburgici, quo cum antea de eo negotio affatim egeram; coëgique, vt demùm deliberationi meæ obſequerentur.

Res noua, & inuſitata ea viſa eſt in ditione Iuliacenſi: nam ex quo ibi Hæreſis graſſari cœpit, nullus Apoſtolicus Legatus, nedum Ordinarius Epiſcopus, pro poteſtate ibidem egerat, aut viſitauerat, aut Iuriſdictionem exercuerat; abſque Principis, eiúſve Curiæ permiſſione; aut abſque Collegâ Viſitationis, quem Princeps auctoritate ſuâ conſtitueret ex Clero propriæ ditionis.

Cùm hæc iam eſſent ibi conſtituta, Monachi rogârunt Principum Maximorum patrocinia; & quia tentauerant fruſtra Sereniſſimum Electorem Colonienſem, ac ipſum Sereniſſimum Neoburgi, Iuliæ, Cliuiæ, ac Montium Ducem; ſaltem eos in ſuas partes adduxerunt, qui aberant longiùs, & ad quos rei geſtæ fama nondum peruaſerat. Quippe Abbas Ninouienſis, quem etſi alienæ Prouinciæ in ius vocaueram, vti obnoxiũ Apoſtolico Tribunali meo, propter locum in quo deliquerat, à Sereniſſimâ Belgij Principe; Abbas verò Kneckſtedenſis à Ferdinando Cæſare

 litte-

litteras pro ſe obtinuerunt.

Sed reſcripſi, ad iniquæ cauſæ tutelam immeritò patrocinium ipſorum implorari; ac re, vti erat, expoſitâ, ſuaſi rogauique; Sedi Apoſtolicæ integrum relinquerent, vt corriperet Viros, à quibus obedientiæ, quàm contumaciæ exſpectari exemplum debuiſſet; dummodo Religioſi ſui Ordinis, ſuique Sacramenti memores eſſent.

Romæ inſuper, ac in Rotæ Sacro Tribunali denarrantes falſa, impetrârunt inhibitionem: quam tamen induci ac tolli, æquitate compertâ, poſtmodum Em^{a} V^{a} iuſſit. Demùm Abbas Kneckſtedenſis metu cenſurarum perculſus, quas interminatus fueram, in vltimo prçſertim decreto, paruit, atque Antiſtitam reſtituit quidem, ſed ſpecie tenus, vti aiunt; compotem videlicet honoris ac ſeſſionis potiùs, quàm priſtinæ in Sanctimoniales auctoritatis: cùm ei coactus dumtaxat munia Præſidis permittere denuò videatur.

XXVII.

INtulerant Leodienſi agro ad initia Syluæ-Ducis obſeſſæ, ac poſt eam deditam, Legiones Hiſpani Regis, damna ſatis grauia; nec in Oppida,

da, & pagos tantùm, ſed intrauerāt etiam in Suburbia Ciuitatis: tametſi ea latè ad vnius leucæ ſpatium immunitatem habeant. Idcircò in foro, & per compita fremere Populus, & queri: quòd inuaderent videlicet regionem amicam; frumentū, pecuniam imperarent, ac Batauos quodammodo allicerent ad iniurias eaſdem.

Tum verò accidit, vt nonnulli ex iratâ plebe, conſpicati Regios milites neſcio quos, ſciſcitati ab eis fuerint, & cur nam adirent ipſam iam Vrbem, poſt crebras foris populationes? Illi falsò ac temerè; nos Leodium, inquiunt, Magnus Præpoſitus accerſiuit. Quæ vox illicò fidem inuenit; & plebs agmine facto in Templum ſe proripiens, ex loco habendi Senatûs Canonicorum, nempe poſt eiuſdem Templi Aram maximam, nihil reuerita ibi Auguſtale Diuinitatis, ipſum magnum Præpoſitum, ita vt erat linteatus, & cum inſignibus propriæ dignitatis, violenter in cuſtodiam traxit. Etſi verò in veſtibulo Templi alter Conſulum intercesſit; ſedare tamen eum immanem æſtum vndantis populi nunquam potuit.

Ego facinus, & ſacrilegium vix audieram; cùm Rhedam momento eodem inſcendi, vt ad forum

irem;

irem; & quia Conſulem fortè obuium habui, queſtus ſum iniuriam tam grauem Viro primæ dignitatis, Sereniſſimo Principi, Eccleſię, ac Deo irrogatam; atque adeò profeſſus ſum, eo me conſilio venire, vt à poteſtate plebis Prępoſitum eriperem.

Conſul primò abominari factum; dein rogare impensè, ac dehortari ab ingreſſu fori; dixitque metuere ſe, quoniam ingenium populi nouerat, ne in ipſo complexu meo Prępoſitum diſcerperet; ſi è cuſtodia tunc educeretur. Cęterùm fore conſultius rebatur, id aliquantulum differre; donec furor plebis ſpatio remitteret, aut ex foro abirent multi, qui prę alijs ſęuiebant.

Liberationem ideò in horas pomeridianas decreui, & Conſulem ſum hortatus, vt interea primarios perturbatores quà perſuaſionibus, quà minis retraheret ab iniuria. Proinde ſecuriùs potui ſub veſperam Prępoſitum ex Vrbis prętorio ducere ad Ædes meas. Vbi triduum fuit, & ego interuallo eo temporis dedi operam; vt plebis facinus, ſicut Eccleſię cenſuris erat damnatum, ita publico Senatûs Conſulto damnaretur; atque adeò effeci, vt Conſules, excuſatâ ignominiâ carceris & violentię, cui coërcendę pares non fuerant,

rant,

rant, ipſum Præpoſitum in Rhedâ mecum ad lares proprios, palàm & claro adhuc die, comitarentur.

XXVIII.

HÆc eadem Ciuitas Leodienſis, partim ex ſuperiorum Cæſarum priuilegijs,atque immunitatibus, partim ex Reipublicæ formâ, quam Ordines tres Cleri, Nobilitatis, & Plebis, conſtituunt, ita eſt ſubiecta Epiſcopo vt nec ſine Principe, nec ſine libertate omnino eſſe videatur. Ideò tum anteactis temporibus, tum ijs annis, quibus manſi ego Leodij, edidit ferè omnia ea exempla, quæ ſimiles aliæ perturbatæ Reſpublicæ olim ediderunt.

Nimirum aliquando vis eſt illata Comitijs ritè habitis; & iuſſi ſunt ſtatim ex albo eradi, ac Magiſtratu abire noui Conſules: coacti verò Trigintaduumuiri ſubrogare alios, quos plebs deſignârat: dum arderet interea forum, & è ſtationibus ſuis motæ Tribus iam arma expedirent.

Peculiariter ad Senatorias Ædes conuenerant ampliùs ſexcenti, ſtrictis gladijs, ſclopisque apprehenſis, atque ad cædem inclinatis: & hi veſtibulum, primamque Aulam impleuerant horro-

re, atque vltimâ formidine; nec tumultus quie-
uit, niſi poſtquam Magnus Decanus è ſecreto cō-
claui vbi ordinandis Comitijs præfuerat, egreſ-
ſus, plebi Conſules, quos petebat, ex ſuffragio
Triginta-duumuirali conceſſit.

Eam vim, eumq́ue tumultum anteceſſerat pu-
blica illo die in Vrbe Leodienſi trepidatio: nam
Templa ipſa, nedum priuatæ Ciuium ædes, armis
defendi cœperant; atque hunc metum in primis
aluerant crebræ quorumdam facinoroſorum ho-
minum voces; quibus otium & egeſtas, auctores
idonei ad perſuadendum nefas, tantum audaciæ
miniſtrabant; vt paſſim ſererent; haud ferendum
videri in vnâ Ciuitate, aliquos ab omnium rerum
copia ſemper beatos, alios ab omnium rerum ino-
piâ ſemper infelices viuere.

Proinde theſauros, horrea & penuaria diti-
tum adeunda, & bona eorum diuidenda ex æquo
ſtatuerant: & metuendum fuit poſtea, ne in tu-
multu, qui exortus in foro eſt, Ciuitatem, tum ma-
ximè opportunam iniuriæ, cædibus ac latrocinijs
miſcerent. Suaſerant multi, vt ego perinde Æ-
dium mearum fores occluderem, easq́ue armis
cuſtodirem: cùm id in domibus priuatis, vt dixi,
& in Templis egiſſent omnes. Sed ſatius duxi,
populi

populi ſtudio, atque obſequio erga Apoſtolicam Sedem fidere, & plus præſidij in eius amore, quàm in armis ponere.

Interea Sereniſſimus Princeps vim illam Comitiorum non tulit; ſed præcepit, ne Tribunalia ſupremæ ſuæ poteſtatis, vti legitimum, agnoſcerent Magiſtratum, quem plebs ita violenter creauerat. Vt verò id fieret de Imperatoris etiam ſententia; tres Commiſſarios Cæſareos Viennâ obtinuit. Sed hi cum formidine magnâ Vrbem intrârunt, ac ſemper publico abſtinuerunt. Demum clauſis valuis Palatij, in eius periſtilio exauctorationem Conſulum promulgârunt, & in Rhedâ velis adductis quàm ſecretiſſimò abiuerunt. Et tum creuit magnopere plebis audacia, quam alioqui frangere ſola eorum auctoritas potuiſſet.

Cùm ita Leodij ageretur, auctor aliquoties Sereniſſimo Principi per litteras fueram, vt coram adeſſet, & auctoritate ſuâ hanc adeò perturbatam Rempublicam ordinaret. Quia verò adieceram, onerari grauiter conſcientiam eius; niſi præſens tot grauiſſimis incommodis mederetur; mihi ſpem quidem aduentûs ſui fecit, cùm id præſertim omnium Ordinum ſuſpiria flagitarent:

ſed præcedere maluerat Cæſaris Commiſſarios. At quoniam horum opera ſucceſſu caruerat, dum interim Princeps expectabatur, aliquoties Cancellarium & Conſiliarios Serenitatis Eius, ſimul & Magiſtratum, ac Viros Conſulares in Ædibus meis ad conſultandum quid facto opus, nec ſanè inutiliter, habui: donec Princeps deliberatâ profectione ex Rheno ad Moſam venit.

At Viſeti in Oppido propinquo hæſit, exiſtimans inferius dignitate ſuâ eſſe, ſi Vrbem intraret, & Conſules cum vitio & violentiâ electi prius Magiſtratu non abirent; præſertim quia ab ſe primùm, deinde à Cæſare fuerant exauctorati.

Contrà illi ponere honorem recusârunt; nam ipſis Conſularis dignitas, & auctoritas publica inſtar munimenti erat; ne obnoxij pœnæ ac vindictæ in re priuata redderentur.

Tunc Sereniſſimo Electori, & ab ijs qui aures eius occupauerant, & à Sereniſſimâ Belgij Principe litteris ad eum datis, cœpta eſt fieri perſuaſio; ab ipſo adiri par honoris ac vitæ diſcrimen, ſi plebi crederet ſe; quæ non ita pridem barbarè honeſtum Ciuem trucidauerat, atque intermortuum adhuc, per ſanguinem ac lutum, ex cædis loco raptauerat ad forum vſque. Eum verò vtrumque

pauo-

pauorem mecum non diſſimulauit; dum Viſeti cum ſalutaren.; & dum vti ſuaſor fueram, ad Ciuitatem veniret, ita conabar ſuadere etiam, vt ad eam demum perueniret. Auxerant præterea metum Commiſſarij Cæſaris, eorumque diſceſſus fugæ, quàm profectioni ſimilior.

Fuiſſet opportunior tamen maſcula deliberatio adeundæ Vrbis: vti apparuit cùm demum Leodium non tutus modò, ſed propemodum ſecurus aduenit; etſi plebs interea quædam longè adhuc triſtiora patrauerat.

Nempe Viſeto Huum conceſſerat Sereniſſimus Princeps, indixeratque ibi Comitia Principatûs: dum autem ea frequentarentur, Leodij confectus curis & morbis diem vitæ poſtremum obierat alter Conſulum, Vir ingenio acri, & plebi ſupra modum, ſed ſoli charus. Superſtes alius Conſul, qui etiam ipſe auram plebis vniuerſam hauſit, Collegam habuerat Virum Nobilem & Comitem tantæ probitatis, vt omnium Ordinum ſtudia fauoremque illico ſibi promeruerit. Huius nihilominus electio à Sereniſſimo Principe grauiùs accipiebatur; dumtaxat quia cum ipſo antiquus Cõſul manſerat in Magiſtratu. Sed ecce cùm inciperent fluere omnia tranquilliùs, turbo vehemens

 exor-

exortus eſt, qui fœdam in populo rurſus excitauit tempeſtatem.

Alter enim, è ſecundarijs Prætoribus, Ciuem promptum linguâ, & manu iuſſerat abſtinere ſe à iurgio, contra Principis Miniſtros, & ſclopum tradere; quem dixerat ab ſe circumferri aduerſùs Proditores Patriæ. Cùm verò dicto audiens non eſſet, nec impactâ in vultum alapâ ceſſaret, ſed creſceret imò audacia eius; adeò vt ignitabulum ſclopi circumagens, traijcere Prætorem meditaretur; traiectus à Satellite Prætoris, & proſtratus fuit.

Tum verò, quaſi per compita Vrbis claſſicum audiretur, ſucclamârunt multi; perimi bonos Ciues, nec debere facinus tolerari: quocirca dum eum Prætorem armati quærunt ad necem; alterum Prętorem Collegam illius fortè obuium ictu ſclopi conſauciârunt; domos vtriuſque diripuerunt; & quod fuit execrabilius, iuêre ad Magni Decani ædes, atque adeò, quia is maximè partes Sereniſſimi Principis defenderat, præter latrocinia, iniuriaſque in domum ipſam (cuius vitra ſpecularia omnia perfregerunt, & conclauia ſpoliârunt) eumdem, ita vt erat in familiari habitu, cum gladijs, ſecuribus, malleis, & ſclopis circumuene-

uenerunt, oneratumque probris; nec omnino intactum, extra limen traxerunt.

Cùm verò ad forum ita violenter eum ducerent, admotis corpori gladijs aliquoties, coëgerunt Virum generis claritate, grauitate morum, canitie, & Cleri primâ dignitate venerabilem; vt deſcenderet in humiles preces, ac vitam perrogaret. Nec fortaſſe ſuperſtes furori fuiſſet; niſi Conſules adueniſſent tempori, & quà perſuaſionibus, quà minis receptum in ſuam fidem, ad proprias eum ædes reduxiſſent.

Atque has recentes tragœdias tantùm non ſpectauit Sereniſſimus Princeps; deditque nihilominus publicam plebi veniam: cùm paulò pòſt Huo tãdem Leodium venit. Nec porrò veniſſet (quippe qui deliberatâ ad Rhenum & in Germaniam reuerſione, ſtatuerat omnino declinare conſpectum Ciuitatis adeò perturbatæ) niſi Huum ego reuerſus, ore tenus & ſcripto aliud conſilium Serenitati eius dediſſem.

Verùm ea indulgentia, quam dumtaxat aliqui, & mali optauerant, nulli meruerant, viſa fuit prudentioribus, & bonis poſſe dumtaxat efficere; vt diu ægra Ciuitas potiùs quieſceret paululũ, quàm ſeriò & admodum ſanaretur.

XXIX.

XXIX.

STatuerat Summus Pontifex ſupprimere cœtus Virginum quarumdam, legibus communibus ſociatarum, quæ immigrauerant in Belgiũ, Germaniam, atque Italiam ex Britanniæ Regno; plurimæque ita in vnis ædibus conſueuerant morari; vt eis Generalis Antiſtita, Præſides Prouinciales, ac Rectrices præeſſent: nec ſepta domicilij tamen clauſa, vti aliæ piæ familiæ mulierum, cuſtodirent. Imò mutarent ſedem, adirent regiones varias, atque vbique puellas in pietate ſimul & in quouis muliebri opificio inſtituerent.

Cæterum profeſſionis vota emittere; ſigno æris campani interdiu noctuque ad preces, ad ſacrum, ad opificia domeſtica, ad cibum, ad ſomnum vocari; ſepeliri communi tumulo; legatis pijs iuuari, ornarique ſimili habitu ſolebant.

Cùm alia tamen infirmi ſexûs earum ſodalitia, nuſquam ſatis defensâ honeſtate habitent; niſi in clauſtris perpetuis earumdem pudicitia inſtar theſauri ſeruetur; peculiariter verò cùm Vrbes atque Prouincias adire, interdum in ætatis ac formæ flore, periculoſum in primis iudicetur. Ideò de inſtituto eiuſmodi ſupprimendo Sacra Congregatio

decre.

decretum tulerat, quod ego ipſis Leodij, Treuiris, & Coloniæ, nec enim alibi erant intrà fines legationis meæ, ſtatim inſinuaui.

Spatium rogârunt illæ ad deliberandum, ac ſpem ſimul fecerunt fore, vt decreto eidem obtemperarent. Interea Generali Antiſtitæ, quæ Monachij in Bauaria tunc erat, rem aperuerunt; eáque Venefridam Campianam Viſitatricem ad ipſas illicò deſtinauit. Hæc itaque Sodales ſuas Treuirenſes, Colonienſes, ac Leodienſes induxit in conſilia prorſus aliena, & temeraria: nempe vt crederent, nec decreto Sacræ Congregationis, nec mandatis meis obtemperandum eſſe; quaſi perperam aduersùs eas emanâſſent. Contrà exiſtimarent, habendam rationem potiùs Sacramenti, quo ſeſe Antiſtitæ Generali obſtrinxerant; & huius iuſſa vrgere ſanctiùs ac religioſiùs, quàm quæ iuberet Apoſtolicus Nuncius.

Hæc vbi ad me perlata fuerunt, adiui earum domicilium; vt Viſitatrici mentem ſaniorem offerrem, eamdemque monita coaſpernantem, ritè interrogandam cenſui. Quæcumque verò ipſa, & aliæ pertinaces Virgines minùs conſentanea ſentirent, enuntiarentque; ea retuli in commentarios, atque ad Vrbem miſi Franciſco Ingoli, qui

 àſe-

à ſecretis eſt Sacræ Congregationi de Propagandâ Fide, & qui priùs ad me decretum antemiſerat. Aliquas tamen diſpoſui, vt parerent, & habitum perinde, ac mores mutarent; eæque reuerterunt in Patriam, aut ſaltem ex aliarum contubernio emigrârunt.

Sacræ Congregationi ad hæc ſuggeſſi, potiſſimùm tria videri neceſſaria, vt decretum ſuppreſſionis earum certò exitum haberet. Nempe vt illud ad omnes huius inſtituti Virgines pertineret; ne ſi adigerem ego abire illas, quæ intra fines erant meæ legationis, exciperent contrà, & quererentur tolerari alias Monachij, Viennæ, Neapoli, Peruſiæ, ac Romæ etiam in ipſo Summi Pontificis conſpectu: nam in his quoque Vrbibus manſionem, aut domicilium fundârant. Deinde, vt Generalis Antiſtita, vti auctor inobedientiæ, in cuſtodiâ idoneâ coërceretur. Demum vt Summi Pontificis Conſtitutio Apoſtolica promulgaretur, in qua penitùs earum inſtitutum abrogaretur. Secùs enim illæ ſpem habebant fore, vt ſuccedente alio Pontifice, Sacræ Congregationis decretum eluderent, niſi Bulla ſuppreſſionis perpetuæ ederetur.

Conſilia hæc probauit Sacra Congregatio de Pro-

Propagandâ Fide; tulitque noua decreta, vt eæ Virgines vbique ab inſtituto eiuſmodi ceſſarent. Quia verò Venefrida Campiana, & Sodales eius enunciauerant quædam, ab Hæreſi haud magnoperè aliena, vti ex commentarijs à me tranſmiſſis apparebat, ideò ad Tribunal Sacræ Inquiſitionis res earum demum venit: tam eſt periculoſum in fœminis, vltra captum ingenij muliebris eas aliquid ſcire.

Reſcripſit præterea Franciſcus Ingoli ea, quæ in commentarios retuleram, & quæ ſuggeſſeram, opportuna fuiſſe admodum, & vtrique Sacræ Cõgregationi fundamentum dediſſe, ad ſumendas conſentaneas deliberationes, pro inſtituti earum ſuppreſſione perpetuâ.

Non ita multò pòſt Eminentiſſimus Cardinalis S. Honufrij iniunxit mihi; vt tam Generalem Antiſtitam, quàm Viſitatricem capi, haberique in cuſtodia curarem; ſed ita vt neutri de alterius carcere antea quicquam indicaretur. Parui, & illam Monachij, hanc Leodij eodem tempore iuſſi apprehendi; nec ibi Sereniſſimus Maximilianus aut hîc Leodij Populus id vllatenus impediuerunt.

Sereniſſimus Maximilianus tamen, & alij prima-

riæ notæ, amplis eas Virgines ſtudijs proſequebantur: Leodienſis populus autem erat tunc maximè ſuæ immunitatis retinentiſſimus. Vt mirum proïnde fuerit, ſucceſſiſſe id admodum tranquillè, eo nimirum tempore; quo è ſeditioſis aliqui adhuc audaciâ inſtructi, nec veniâ Principis mitigati, vti noua moliebantur quotidie, ita non ferebant, Viſitatricem inuitam è domo extrahi; quæ domus immunitatem habebat & Ciuitatis, & Cleri: nam erat ex ædibus Clauſtralibus, quas vocant, vnius Collegij Canonicorum. Sed amor populi erga me, & ea perſuaſio, quod nihil præter æquum & fas decernerem, ſucceſſum quem ſperaueram meis hiſce conatibus dederunt.

Miſit poſtremò Leodium ad me Bullam perpetuæ ſuppreſſionis earum Eminentiſſimus Cardinalis S. Honufrij, in qua Sanctiſſimo D. N. placuit nomen meum inſerere: & ea Bulla fuit remedium quàm opportunum: quia ſtatim ab illius promulgatione Virginum earumdem vaneſcere, atque ſolui pſeudoſocietas cœpit; & ad lares proprios, aut certè ad laicum vitæ ſtatum omnes remeârunt.

XXX.

XXX.

WOlfgangus Gulielmus Bauarus, Comes Palatinus, & Neoburgi, Iuliæ, Cliuiæ, Montium Dux, viduatus ſorore Maximiliani Bauari Electoris coniuge ſuâ, nec inſtructus liberis præter vnigenitum, ad fundandam pro amplis ſuis ditionibus Catholicam poſteritatem, ſpecie aliâ negotiorum cum Marchione Spinolâ Mediolani Moderatore, & copiarum Hiſpani Regis Præfecto Supremo, in regionem Subalpinam iuerat, quæſieratque nouam coniugem ex proſapia Ducis Allobrogum.

Sed fruſtra tum inde, tum ex Germania poſtmodum nuptias idoneas ſperauit; fortaſſe quia ei nuptum dare Principes magni recuſabant filias; quarum vtique liberi ſcribendi non forent, niſi in ſecundis hæredibus; ſuperſtite nimirum alio, qui natus ex priori toro, aditurus erat Principatum.

Quocirca petijt filiam Tertiogenitam Ducis Bipontini, tantùm vt nuberet pari, cùm ille item ſit ex gente Bauaricâ: nam ſi ambo coniuges in Germaniâ non fuerint ex æquo nobiles ac generoſi; neſcio quâ videntur afflari maculâ liberi eorum, atque impediri, quominus gloriam hauriant

ex Auorum ſtemmatis. Adítus quoque ad honores, atque ad illuſtres ſucceſſiones eis præcluduntur: quaſi natalium claritas, accepta dumtaxat ex alterutro Parentum, clauda eſſe quodammodo, neque ad grandia poſſe niti integris paſſibus videatur.

Nactus eſt itaque Dux Neoburgi occaſionem connubij cum puella pari, ſed congeneri; quam videlicet contingebat gradu tertio conſanguinitatis. Idcirco gratiam impedimenti huius flagitauit ab Apoſtolica Sede, annuiſſetque Summus Pontifex; ſi puella induci potuiſſet, vt Caluinianam Hæreſim, in qua innutriuerant eam Parentes, eiuraret.

Conditionem hanc Dux Neoburgi accepit grauiùs; tum quia credebat, iuxta Scriptorum quorumdam ſententiam; non impediri connubia Germanorum ex eo capite, quòd coniugum alter ſit Religionis noſtræ, alter ſit ſectæ Lutheranæ vel Caluinianæ; paſſim enim ita in Septentrione nubunt: tum quia Sedem Apoſtolicam aiebat ad id minimè adegiſſe, aut Ducem Barium, quando ei nupſit Henrici Regis Soror, nempe Catholico Viro ſponſa Hæretica, aut Regem magnæ Britanniæ, quando ei nupſit pariter ſoror Ludouici Regis,

gis, hoc eſt, ſponſo Hæretico vxor Catholica.

Iuſſus propterea ſum ab Em^a V^a ipſum Ducem conuenire : qui cùm apud Sereniſſimam Belgij Principem Bruxellis ageret, Louanium venit mediam vrbem, & ad colloquium idoneam; vtpote procul ab Aulæ neceſſarijs obſequijs, quæ tempori apta non fuiſſent. Ibi ab Eius Serenitate exceptus fui perhonorificè ; cùm aduenerit ad hoſpitium, ad quod diuerteram, & me in Rheda ſua duxerit ad ædes inſtructas ſupellectili, & famulitio tum ipſius, tum Sereniſſimæ Principis Belgij. Suaſi autem quàm potui efficaciter, vt æqui boni conſuleret, anteferretque cuiuis priuatæ ſententiæ, deliberationem Summi Pontificis ; quam ſuffragio ſuo etiam Cardinales multi, poſt rem aliquoties diſcuſſam, confirmauerant.

Inſinuaui etiam; Duci Allobrogum, & Magno Etruriæ Duci negatum perinde indultum : quando aſpirârunt ad nuptias cum filia Regis Magnæ Britannię : Duci verò Barij, & Reginę Britannię conceſſum illud, ob cauſam publicam fuiſſe. Etenim ex impedito illius matrimonio ſimultas, & graue bellum metui potuiſſet; Rege vtique Maximo grauiùs accepturo, ſi ex conſortio familiari Ducis ad Regiam domum remearet ſoror cũ nota

vel

vel malæ, vel dubiæ famæ: atque adeò ex matrimonio huius permiſſo ſecuritas, vel immunitas Catholicorum in vniuerſo eo Regno videbatur ſperari poſſe.

Cùm itaque nulla iam ratio publicæ cauſæ Eius Serenitati ſuffragaretur, hortatus ſum acquieſceret Summi Pontificis reſcripto; nec iret in complexum vxoris alienæ ab eâ Religione, quam non ita pridem fuerat profeſſus tam gloriosè.

Porrò etſi multa in eam ſententiam dixi; Dux adhuc rem diſcuti coràm à quatuor Theologis voluit; & tum ipſemet, vt acri eſt ingenio, & promptus ſermone ad diſſerendum, ſimul cum eis cauſæ propriæ ius egregiè tuebatur. Nihilominus ego conſtanti perſuaſione conatus illum inducere, vt deliberationem Romæ initam potiùs probaret, Louanio demum receſſi.

Non ita multò pòſt, dum ex Brabantia ſe referens ad proprias ditiones, Dux idem eſſet Traiecti, eò accerſens ad ſe Io. Baptiſtam de Ninis Auditorem meum, ſtatuerat, ſi ego conſenſiſſem, mittere eum Romam, cum vno ex præcipuis Conſiliarijs ſuis, ſpe impetrandæ diſpenſationis. Excuſaui ego tamen conſenſum: & tum ille ſcripto iterauit preces, nouasque inſinuauit cauſas, cur crederet

deret nimirum ſibi eius matrimonij veniam à Sũmo Pontifice concedi debere.

Demum vbi ego Serenitatem Eius nihilò plus obtinuiſſe cognoui; litteras dedi ad Religioſum virum, qui ei eſt à ſacris confeſſionibus, ac ſuaſi, auctor ei eſſet, vt omnino alias nuptias cogitaret. Poſtremò hic euentus rei fuit: diſpenſationem, diſſimulatâ vtriuſque coniugis perſonâ, & ſuppreſſis titulis dignitatum, impetrauit ab Archiepiſcopo Philippenſi, qui inter Batauos præeſt Clero, & eſt quaſi Antiſtes ibi Catholicorum. Nam quia ditiones nonnullas Dux obtinet in diœceſi Vltraiectinâ, videri potuit ad forum eius pertinere. Mox Bipontum proficiſcens, nuptias iniuit, & ſponſam ſecundo Rheno Duſſeldorpium inde ſecum adduxit.

XXXI.

Obierat Antiſtita Eccleſiæ Thorenſis Princeps Imperij, & quæ Virginum Nobilium, quas Canoniſſas appellant, Canonicorumque & Cleri eiuſdem Eccleſiæ Præſes habetur. Ex hoc inſtituti genere in Germania, Belgioque ſunt Collegia plurima & opulenta, aluntur que in eis puellæ Nobiles ſacris Eccleſiæ ſtipendijs, vel perpetuò

dum viuunt, vel donec ſaltem nubant: cùm nullo ſint obſtrictæ ſacramento.

Odæum hæ horis conſtitutis frequentant; & tum habitu amiciuntur honeſto, verecundo, ac ferè dixerim Religioſo; nam cæteroqui extra Téplum vel Odæum ſplendidè, ac pro Familiæ gloria ornantur.

Sed & earum Collegijs aggregantur Canonici, qui munia ſacra obeant; ijque in nonnullis Collegijs ius habent ſuffragij ſeu Antiſtita eligi, ſeu diſtribui Præſidum aliarum honores debeant.

Peculiariter in Eccleſia Thorenſi erant Canonici omnino ſex, & ſola inſuper ſenior ſeu Decaniſſa, vt vocant, quibus liceret ſuffragia conferre: cùm deeſſet alijs Canoniſſis iuſtæ ætatis honor, ideoque illæ ad Comitia minimè admitterentur. Fuiſſent numero plures, niſi huius Thorenſis Collegij lex, aut vetus conſuetudo exigeret in eiſdem ſexdecim Nobilium Auorum ſtemmata, cum titulo Baronis aut Comitis, qui in familia eorum fuerit ab annis centum.

Adfui ego itaque vt ipſius Antiſtitæ intereſſem electioni, cùm vni Apoſtolicæ Sedi Eccleſia Thorenſis ſubijciatur; tametſi Vicarius Epiſcopi Leodienſis aduenire ipſe, ac præeſſe electioni conaretur:

tur: affirmans Anteceſſorem ſuum ſuperioribus Comitijs pro poteſtate interueniſſe, quando Antiſtita quæ obierat, electa fuit.

Reſpondi ego id fortaſſe factum ideò, vel quia aberat ex Prouincia tunc Apoſtolicus Legatus; vel quia deuocatus ad Comitia ea fuerat, vti gerens perſonam alterius Prælati potiùs, quàm vti vices gerens Epiſcopi Leodienſis Erat quippe res comperta, Thorenſe Collegium ſoli Apoſtolicæ Sedi eſſe ſubiectum.

Quod cauſæ fuerat cur in Viſitatione generali Leodienſis Cleri, etiam illius ego inſpectionem habuerim; profeſſique id fuerint ibidem ipſimet Canonici: aſſerentes nimirum pertinere ſe ad Clerum Secundarium; ſeque perinde eximi ab Epiſcopi ordinariâ iuriſdictione.

Attamen etſi hæc affirmaueram, addideramque nunquam aut Leodiẽſem Epiſcopum, aut eius Vicarium pro poteſtate viſitationem obiuiſſe ſeu Thorenſis Collegij, ſeu alterius Collegij Canoniſſarum Beliſij, quod ſitum eſt pariter intra limites diœceſeos Leodienſis; Vicarius nihilominus ſtatuerat eò ſe conferre, atque experiri ſi quo modo fundare ibi potuiſſet Epiſcopi iuriſdictionem. Canonici contrà eum admittere

recuſârunt, & me potiùs vt adeſſem deliberatâ e-lectionis die perrogârunt.

Ibi cùm eſſem, Latinè ſum eos hortatus eiuſmodi ſuffragatione vterentur, ex qua manifeſtum redderent, Spiritûs ſancti opem ab Eccleſiaſticis Viris fruſtra non implorari. Ventum eſt ad ſuffragia; & quamuis ſola Decaniſſa potuiſſet eligi, hanc vnus dumtaxat è Canonicis elegit; quinque alij verò Canonici Filiam Comitis à Rupe-forti, annorum ſeptemdecim, Antiſtitam poſtulârunt.

Cùm enim ea eſſet etiam Neptis Comitis à Marka, & Neptis defunctæ Antiſtitæ, quæ laudabiliter Collegio Thorenſi præfuerat; potentes eiuſmodi affinitates ſpem eis fecerunt fore, vt ditio Eccleſiæ Thorenſis finitima Prouincijs Batauorum, certiùs tuta eſſet ab eorum iniurijs, & populationibus.

Reuerſus Leodium habitæ Poſtulationis commentarios ritè formaui, ac tranſmiſi ad Vrbem. Vbi cùm Decaniſſa ſui vnius ſuffragij ius vellet tueri, diſcuſſio rei demandata eſt aliquot Romanæ Curiæ Præſulibus; atque hi demum, Poſtulationem alterius dignam eſſe Confirmatione Apoſtolicâ cenſuerunt.

Cùm omnia itaque præſcriptis Sacrorum Ca-

Digitized by Google

nonum congruerent, huic Poſtulatæ Apoſtolica Sedes dignitatem confirmauit, eique ego ipſe, rogante Comite eius Parente, Viro de Catholicâ Religione optimè merito, poſſeſſionem dedi.

Decaniſſa interea ægrum animum vſque adeò non ſuſtinuit, vt vel illo ipſo quo receſſeram die, hoc eſt poſtridie à Poſtulatione, vim à militibus Regijs pago Thorenſi, ædibusque, & Clauſtro Canonicorum inferri, & ex Canonicis aliquos capi, aut ſaltem exterrefieri auſu temerario curauerit.

Fuiſsent autem abducti ex eis nonnulli; niſi Comes à Marka qui aderat, funusque & exequias defunctæ Antiſtitę Amitæ ſuæ celebrauerat, famulos iuſſiſset & incolas pagi arma expedire, factaque è turri ſignificatione omnes ex agris reuocáſset ad iuſtam defenſionem. Quocirca illi veriti mutuas cædes ceſsârunt ab iniuria, & fuga ſe indidem proripuerunt.

Mox tamen facinus & violentiam, auditis querimonijs meis, Decaniſsa pariter atque affinis eius Comes Ioannes Naſsouius, ex cuius legione Regij milites illi fuerant, excusârunt datis ad me litteris, in quibus patrata ea eſse nec ſe conſcijs, nec iubentibus affirmârunt: etſi prudenter id poſse

 credi,

credi, pauci opinabantur.

Decaniſſa interea dignitatem adhuc petens, ac miſcens conſilia omnia, prouocauit ad Regium Geldriæ Senatum; ibique perſuaſit Thorenſem ditionem ſpectare ad Prouinciam Geldriæ, cenſerique membrum eius. Ideo aſſeruit quoque; litteras Pontificias ibidem nihil habuiſſe momenti vel ponderis, quibus vtique conſenſus Regius defuerat; irritamque fuiſse poſseſſionem, quam Antiſtita Poſtulata abſque eodem Regio conſenſu adierat, affirmauit.

Antehac tamen ditio Thorenſis neutri parti adnexa, nimirum nec Hiſpani Regis, nec Batauorum, habita fuerat ab ipſiſmet Regijs Adminiſtris; qui vti ditionem S. R. I. eam ſemper, & à ſua ipſorum iuriſdictione immunem eſse iudicauerant: neque ius dicere, aut pro poteſtate aliquid ibidem decernere vnquam conſueuerant. Imò cùm inſtarent ibidem Comitia, & noua Antiſtita eligi deberet; dederat Sereniſſima Belgij Princeps litteras, quæ commendatione fungerentur, & Decaniſsam ad eam dignitatem promouerẽt. Quod argumento erat, haud ipſam eſse Thorenſis pagi Dominam; nam alioqui potiùs ibi nouam ſuffragio ſuo Antiſtitam dicere potuiſset.

Etſi

Etſi verò ita res anteactis temporibus habuerat; ſuis Decaniſsa poſtulatis & perſuaſionibus Ruræmundæ in Regia Curia Geldriæ nihilominus reſcriptum obtinuit, in quo litteræ Pontificiæ, & poſseſſio Antiſtitæ Poſtulatæ abrogabantur; ipſi verò Decaniſsæ adminiſtratio, & gubernacula Eccleſiæ pariter ac pagi Thorenſis, tamquam Antiſtitæ legitimæ adiudicabantur. Cùm interea nec Thorenſis Eccleſiæ Canonicos, nec Antiſtitam quæ poſseſſionis iure potior erat, nec alium quemquam, ad quem ritè negotium pertineret, in ius priùs Geldriæ Senatus Regius vocâſset.

Conſcius ego eius iniqui reſcripti, Illuſtriſſimum Nuncium Bruxellenſem rogaui, vt de eo referret ad Sereniſſimam Principem Belgij: præſertim quia Præſes ac Iudices Geldrienſis Curiæ militiam armatam Serenitatis Eius implorauerant; quò eius auxilio videlicet id, quod reſcripſerant ſtatuerantque, promptiùs exequerentur. Vti autem erat Matrona æquiſſimæ mentis, addixit fore, vt nihil pateretur deinceps ſeu Tribunal Geldriæ, ſeu Regios Adminiſtros moliri, niſi pars altera priùs audiretur.

Dum hæc aguntur, Batavi è ſtatiuis prodeuntes, luſtratâque repentè acie, ac ſummâ vſi celeritate

ritate Venlonam & Ruræmundam Hiſpano Regi eripuerunt. Quin etiam Traiectum ad Molam ingenti caſtrorum ambitu, clauſoque vtrinque amne obſedêre aliquamdiu; atque ad deditionem poſtremò adegerunt. Decaniſsa ideò (vti ambitio cæca eſt, nec iuſta, ſed ſibi conſentanea dumtaxat tribunalia ſectatur) Batauos iam Ruræmundæ Dominos adiuit, flagitans vt exequeretur Arnhemienſis Curia, quidquid Ruræmundæ antea ſancinerat Curia Geldrienſis; & reipsâ mox Antiſtitæ Poſtulatæ auxilijs Batauorum adempta eſt poſseſſio ditionis Thorenſis.

Contrà implorans opem Apoſtolicæ Sedis Comes à Rupeforti Parens Antiſtitæ Poſtulatæ, coactoque ſimul milite certum habuit Filiæ honorem reddere, atque ditionem Thorenſem aduerſus Batauos propugnare. Vſus verò ego interprete Henrico Bergio Comite Catholico, dedi operam vt Auraſiæ Principi, Supremo Batauorum Duci ſuaderetur; nihil antea vel Hiſpano Regi, vel Senatui Geldriæ; nihil iam Senatui Arnhemienſi eſse iuris aut poteſtatis in ditionem Eccleſię Thorenſis: quę vtique S. R. I. membrum eſt, aut certè titulo Beneficiarij magnatibus nullis ſubeſt. Vt proinde ſperarem fore, inhiberet Curię Arnhe-

mienſi

mienſi, ne in poſterum pergeret cauſæ tam iniquæ patrocinari. Nec aliter euenit: nam Princeps Auraſiæ mox auctoritate ſuâ interceſſit; profeſſus inſuper tueri ſe velle Antiſtitam Poſtulatam, eamque Affinem ſuam appellauit. Quod item optauit mihi à Comite Bergio inſinuari.

Non ita quieuit Decaniſſa: ſed rurſus prouocans ad Senatum Batauorum, qui Arnhemij Curiam Prouinciæ Geldrienſis habent, ſicuti eam Hiſpani habuerant Ruræmundæ, ac pro ſe adferens decretum eiuſdem Curiæ ſibi commodum ac fauens; vtilitatem magnam oboriri poſſe Geldrienſi Prouinciæ oſtendit, ex annexu Thorenſis pagi, ac ditionis eius; & hoc futurum ſi reipſa vſurparent ibi iuriſdictionem, ac decretum antedictum executioni mandarent. Nec difficile fuit Batauos inducere, vt conſilium capeſſerent, quod ab vtilitate accipiebatur dumtaxat, non à iuſtitia vel ab honeſtate. Proin Decaniſsa pro ſe habuit ab Arnhemienſi Curia decretum prouiſionale in poſseſsorio, quod vocant, eoque ſibi conata eſt comparare denuò Antiſtitę Thorenſis dignitatem.

Cuncta hęc nunciaui ego ſtatim Em^{x} V^{x}; & tum acceptis litteris Pontificijs iuſsus fui Decaniſ-

ſam Eccleſiaſticis cenſuris compeſcere, reduce-reque à malè cœptis; præſertim verò ab eiuſmodi perfugijs ad prætoria & tribunalia laicæ poteſtatis. Quod ſi præiudicium aliquod metueret, iubebar præterea eam hortari, ſuum ius proſequeretur potius in Sacro Senatu Rotę Romanę, ac interim ditionem poſſideri, retinerique ab Antiſtita Poſtulata pateretur.

Cui Antiſtitę quoniam ſuffragabatur inſuper Pontificium Diploma, in quo illa meruerat non ita pridem Sedis Apoſtolicę Confirmationem; ideò tanto ego alacriùs iuxta pręſcriptum epiſtolę Pontificię, & monui ceſſaret tandem, & ritè ſpatium conceſſi, vt reſipiſceret; ac pertinaciâ demum perſpectâ corripui Eccleſiaſticis cenſuris: ijsque fruſtra iteratis, mandaui, vt ſi fieri poſſet, traderetur cuſtodiæ.

Eadem inſinuaui quoque Illuſtriſſimo Nuncio Bruxellenſi; quò ipſe nimirum efficeret, ne Adminiſtri Hiſpani Regis opitularentur Decaniſſæ, ſi ea fortè illorum denuò imploraret arma. Quandoquidem haud iuuare magnopere ipſam Batauj iam poterant; poſtquam Regij milites muniuerant ſe in inſula S. Stephani, finitimâ ditioni Thorenſi: & hic eſt in præſentia ſtatus huius con-

tro-

XXXII.

DVm pro caſtris Cæſareis in Inferiori Germania felicitas maior erat, ſuperato aliquoties Rege Cimbrorum à Ioanne Tillio, Duce inclyto ac pio; paſſim Templa & eorum opulenta Sacerdotia, Cœnobiaque vtriuſque ſexûs; quæ iniuſtè vſurpauerant Hæretici poſt pacta Paſſauienſia, recuperabantur. Sed tunc conſilia ſatis aliena Imperatori Ferdinando ſuggerebantur; nempe vt Sacerdotia ſeu Canonicatus, ac eorumdem dignitates ipſe diſtribueret pro libitu: Cœnobia verò indiſcriminatim antiquis Ordinibus rurſus traderet; ſeu Religioſi ex eis vi eiecti fuiſſent; ſeu illa ſponte, vnà cum rectis moribus, & cum religione ipsâ deſeruiſſent. Hæc verò praua conſilia errore inſuper cumulabant, aſſerebantque debere omnino ita fieri; nec poſſe Summum Pontificem, priſcas eas fundationes in alios tametſi pios transferre vſus, prouentusque Templorum & Cœnobiorum alterius inſtituti cœtibus vel ſodalitijs aſſignare.

Cùm ea itaque perſuaſio inualeſceret apud Aulæ Cæſareæ Proceres, dedi ego litteras ad P.

Gulielmum Lamermaini, qui eſt à ſacris Confeſſionibus Cæſaris, & ſum hortatus; ſubmitteret Sacræ Cæſareæ Maieſtati conſilia conſentanea reſtitutioni Catholicæ Religionis in Germania. Nec enim Cœnobia congruè redibant ad antiquos Dominos, qui extra clauſtra nihil moliantur; cùm viderentur offerenda potiùs ijs Religioſis, quorum vitæ ratio actuoſa eſt, atque idonea tum erudiendæ iuuentuti, ſeu in Gymnaſijs publicis, ſeu in Seminarijs Cleri; tum inſtruendæ plebi in his, quæ ad mores probos, veramq́ue religionem ſpectant; tum denique Sacramentis Eccleſiæ ritè adminiſtrandis, & concionibus habendis aduersùs eos, qui paſſim adulterant Verbum Dei.

Tametſi autem laudabiles fuerint antiquæ fundationes, & plurimum habuerint honeſtatis ac ſanctitatis; adieci laudabilius multo eſſe, Catholicam Fidem earum ſubſidio erigere, tot iam annis afflictam & proſtratam; atque hoc pacto in Germaniæ Prouincias demum veluti poſtliminio eam reuocare. Quòd ſi æſtimare ſit ac expendere piam mentem fundatorum; citra dubium quoque videri fore, vt prorſus aliter illi de ijſdem Cœnobijs ſtatuerent, ſi viuerent iam, & ſpirarent in

tanta Eccleſiæ pernicie, ſpectarentque ingentem adeò & luctuoſam Religionis Catholicæ inclinationem.

Poſſe deinde Summum Pontificem eas fundationes, præſertim in melius mutare, cùm ipſe Supremus ſit bonorum Eccleſiæ Diſpenſator, dixi adeò eſſe in comperto; vt ſanæ doctrinæ aduerſentur omnino, ſi qui aliter pronuncient. Neque antehac dubitâſſe vnquam de iſtiuſmodi poteſtate aut ſuperiores Cæſares & Principes Germaniæ, aut ipſum Cæſarem Ferdinandum; quibus vtique Apoſtolica Sedes annuit aliquoties petentibus, vt eius generis piæ fundationes in vſus alios maximè aptos reſtitutioni Eccleſiæ transferantur.

In hanc porrò ſententiam haud ita multo pòſt ſcripſit ad me Dux Fritlandiæ, Magnus Præfectus exercitûs Cæſarei, rogauitque ſupplicarem Summo Pontifici; vt Cæſari auctor eſſet; operarios nauos & induſtrios in Vinea Domini excolenda iam neceſſarios videri; qui nimirum agrum Eccleſiæ repurgare, Seminaria Cleri moderari, & Gymnaſia publica, tamquam arces veritatis, & munimenta Fidei aperire poſſent. Quod ipſum Ducis Fritlandiæ iudicium P. Gulielmo Lamermaini mox pariter expoſui; vt Cæſari ſuaderet, ita

prorſus ſentiendum ac decernendum eſſe, ſi vellet benè parta, meliùs tueri.

Quod deinde Eccleſiarum Sacerdotia & dignitates, atque ipſoſmet Epiſcopatus diſtribueret, hoc inſinuaui nouum, inuſitatum atque alienum videri ab ea conſcientiæ gloria, quam Cæſar profitebatur. Deſignari enim ad honores Eccleſiæ poſſe viros idoneos à laicis Principibus, non inficias ibam; ſed affirmabam tamen ſolius Romani Pontificis eſſe inſtituere dein ipſos, ac per Apoſtolicas litteras verum eis titulum conferre.

Sed & abuſus quoſdam alios non diſſimulaui: quia & illud ſcripſi; Magdeburgi, Bremæ, Halberſtadij, Lubecæ, Recemburgi, & in alijs Epiſcopatibus Hæreticos quidem eradi atque expungi ex albo Canonicorum, ac viros Catholicos eis ſubrogari; ſed hoc tamen à Cæſare ſine delectu fieri. Nempe ad Sacerdotia ſeu Canonicatus promoueri pueros; vel eos, quibus ſi honor ætatis non deeſt, neceſſitas erat ſaltem alibi reſidendi, ob alia quæ obtinent Sacerdotia, aliasve Eccleſiaſticas dignitates. Intereſſe autem boni communis videbatur, eos potiùs Canonicos pro his Eccleſijs inuenire, qui adeſſe perpetui, frequentare Odæum, moribusque honeſtis & pietate conſtanti,

ſtanti, ſpectaculo Hæreticis, exemplo & ſolatio Catholicis eſſe poſſent.

Ipſas litteras meas Viennæ tradidit legendas Sacræ Cæſareæ Maieſtati is, qui eſt ei à ſacris Confeſſionibus, & negotij vtriuſque magnitudinem ſubſtituit meditationi eius. Vti verò Cæſar optima conſilia; ſi ea ſuppetant, nunquam aſpernatur; annuit poſtulatis meis, & non aliter futurum deinceps, atque ego ſuaſeram, adpromiſit. Quæ omnia vbi ex me cognouit Em^a^ V^a^ exhilaraſſe in primis ea Summi Pontificis animum reſcripſit: placuitque Em^æ^ V^æ^ humaniſſimè affirmare; me huic negotio magno vitam atque animum dediſse. *Litt. dat. 22. Feb. 1630.*

Interim quia reipsâ Oſnaburgenſi Epiſcopo Imperator Epiſcopatum Mindenſem, Magno autem Præpoſito Treuirenſi Lubecenſem Epiſcopatum iam diſtribuerat: cùm hi ambo flagitarent, me interprete, à Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. Apoſtolicam Confirmationem; ſpem omnē impetrandi eam ego ipſis ademi. Reſcripſi enim, debere deintegro eis honorem à Summo Pontifice conferri; cuius erat videlicet Epiſcopos, hoc eſt Principes Eccleſiæ ibi conſtituere. Vti Mindæ poſtmodum factū eſt; & fiet porrò etiā Lubecæ, ſi

hoſti-

hoſtibus ſuis ibidem aliquando Catholica Religio caruerit; & ſi ad eam vſque oram Baltici maris extenderit victrices manus, atque adeò Cruci triumphanti glorioſum ibidem erexerit & conſecrauerit trophæum.

XXXIII.

SVblato è viuis Philippo Adolpho Herbipolenſi Antiſtite, ac Duce Orientalis Franciæ; ego, tametſi eſſent dies Caniculares, iter ſtatim arripui, & per ſaltus Arduennæ, perque Eyfliæ regionem ſterilem ac vix Rhedæ peruiam quatriduo Confluentiam veni; vbi ſalutatus atque exceptus ab Electore Treuirenſi, cognoui Franciſcum ab Hartsfeldt lętâ & communi ſuffragatione appellatum Herbipoli Antiſtitem ac Principem fuiſſe. Decreui nihilominus progredi, vt electionis proceſſum ibi commodiùs formarem, vbi nimirum ſuppetere teſtes idoneos haud ignorabam.

Moguntię inuiſi Archiepiſcopum Electorem, cùm valeret improſperè; ibidemque cum Comite Ioanne Ludouico Naſſouio egi, qui nuperâ Fidei Catholicę profeſſione clarus ad me Adamariâ cò excurrerat, conſultandi cauſa de Collegio & Seminario; quod vtrumque in ditionibus proprijs

Socie-

Societati IESV fundare meditabatur. In quem finem Summus Pōtifex antiquas aliquot pias fundationes, ab Hæreticis receptas non ita multò antè eidem Comiti conceſſerat.

Dein Francofurto miſi vnum ex familia mea citatis equis Herbipolim, vt de aduentu meo ad nouum Epiſcopum & Principem referret, traderetque ipſi à me litteras gratulatorias, ob recentem eum & ampliſſimum honorem. Mox verò inde Aſchaffemburgum Rhedæ quatuor miſſæ ſunt pro me, ac familia mea, cum vno ex primis eius Conſiliarijs, qui & inuitaret, & comitaretur Herbipolim.

Quocirca digreſſus Aſchaffemburgo poſt ſeſquidiem, procul ab Herbipolenſi Vrbe ad vnam ingentem leucam, nouum Principem obuium habui, cum pluribus Rhedis, & cum inſigni alâ Nobilium Equitum: ac poſt ſalutationes gratulationesque ad Arcem eius, ſitam in loco excelſo, & præalto veni. Superfuit verò adhuc ſpatium eo die, vt potuerim in Sacello eiuſdem Arcis Veſperas, ex podio familiari, vnà cum Principe audire. Dum interim Epiſcopus Suffraganeus, Magnus Decanus, & aliquot alij Canonici, qui pariter obuij fuerant, in Sacello ipſo, quemadmodum &

cæteri ex Aulâ infrà, Odæi ſubſellia inſiderent.

Structura ædium ſumptuoſa & magnifica; conclauia item congruæ laxitatis; atque adeò ex eis amœniſſimus deſpectus in ſubiectam vallem; quam interfluit irrigatque Mœnus fluuius; quam vniuerſam explicant cultiſſimi agri, quam conſiti vineis colles circumdant, & veluti coronant; quam demum Ciuitas ipſa in primis nobilitat & frequentat; me ab itinere longo fatigatum non mediocriter recreárunt.

Ad hæc Aulæ honeſtas & ſplendor; apparatus menſæ prædiues; ſupellectilis argenteæ copia & varietas; numeroſum equile; armamentarium inſtructiſſimum; & peculiariter in eo plurima ænea tormenta cæteram gloriam Epiſcoporum Herbipolenſium affatim patefaciebant.

Adfui hoſpes gratiſſimus vel ideo; quòd Electus Epiſcopus adſcriberet ſuæ magnæ felicitati; vt poſſet initio Principatûs teſtificari, quàm amplis ſtudijs Apoſtolicam Sedem, eiusque Adminiſtros coleret ac veneraretur.

Cæterùm ipſe dotes animi habuit dignas, propter quas præ alijs eligeretur; mores videlicet temperatos & ſuauiſſimos, cum prudentia ac dexteritate ſingulari; quam tractando negotia publica,

regio-

regioneſque Europæ diuerſas ac præcipuas peragrando acquiſiuit. Peritus eſt inſuper linguæ Italicæ, Gallicæ, atque etiam Anglicæ, præter Germanicam & Latinam, quam vtramque callet fermè ex æquo.

Triduo in commentarios retuli eius electionem, & quia monita quædam obtuli, chirographo meo ſcripta, ne exciderent ex animo, grates propterea Princeps habuit; nauique demum inſtructiſſimâ, nec ad neceſſitatem tantùm, ſed ad honorem etiam præparatâ, ſecundo Mœno me abire permiſit.

In Oppido Wertheim Comes à Rupeforti, quoniam ibidem recuperauerat Eccleſiam, quam fratres eius Hæretici, & ante illos Parentes eorumdem ritibus Lutheri proſtituerant, auidè opperiebatur reditum meum: vt nimirum Ciues præſentia Legati Apoſtolici magis in Religione Catholicâ confirmarentur. Id fuit cauſæ, cur poſtridie publicè Aris perlitauerim, concionique interfuerim. Porrò dum ad Templum irem, præter aſſeclas honorarios, armata peditum cohors tegebat latus meum: nam cum Satellitio Comes ſemper in oppido illo erat; quandoquidem ex odio aſſertæ denuo religionis vnus è

Digitized by Google

ſectarijs in eum paulò antè ſclopum exoneraue-
rat, alijque vitæ eius inſidiabantur.

XXXIV.

REuerti Francofurtum, quo tempore Comitia ibi habebant Legati omnium Principum Germaniæ, ſeu Catholici forent, ſeu Sectarij; Comitijsque præerat, loco S. C. Maieſtatis, Ioannes Gaſpar Magnus Magiſter Ordinis Teuthonici.

Cum eo, dum ibam Herbipolim, optaueram equidem loqui, vt commendarem negotia Religionis. Sed enim, etſi iam Francofurti erat ante aduentum meum, me adire primus recuſauit: voluiſſetque à me antea in ædibus proprijs ſalutari; cùm diceret, ſe à Cæſare ad ea Comitia ex peculiari deſtinatione miſſum eſſe; me autem ad illa ita peculiariter à Summo Pontifice non deſtinari.

Reſpondi me, dum intrà legationis meæ fines eram, ad promerendam retinendamque honoris prærogatiuam, eâ peculiari deſtinatione haud quaquam indigere: declinauique ideo congreſſum; & ſolùm poſtquam redij, ſcripto ipſi capita rerum communicaui, quæ cenſui poſſe conducere, vt Catholica Religio nihil detrimenti ex eo Conuẽ-

tu

tu Imperij pateretur.

Ea erant potiſſimùm; vt nihil ſtatueretur, in quo Cæſar aut ab Edicto ſuo æquiſſimo de recuperatione bonorum Eccleſiaſticorum recederet; aut Sectarijs aliqua permitteret, quæ pacem Religionis vulnerarent, & Paſſauij pacta conuellerent. Atque in eandem ſententiam priuatis alloquijs adducere conatus ſum plurimos ex Legatis Catholicis, qui Francofurti in eodem Conuentu erant. Quamquam id fruſtra fuit, quia paulò pòſt commiſſo ad Lipſiam ingenti prælio; ſuperatoque & caſtris exuto Ioanne Comite Tillio exercitûs Cæſarei Supremo Duce, Guſtauus Rex Gothorum & Vandalorum ſimul opes Catholicorũ afflixit, & veram vbique in Inferiori Germania Religionem oppreſſit.

Cæterùm occaſione aliâ Leodij etiam gradum perſonæ, quam gerebam, ſuſtinui, nec paſſus ſum quidquam detrahi de honore illo, ac de illa veneratione, quam in Adminiſtris ſuis Apoſtolica Sedes promeretur. Aduenerant Viennâ Comes Iſemburgius Eques Velleris Aurei, & duo alij Sacræ Maieſtatis Cæſareæ Commiſſarij, quorum alter Baro erat, alter fuerat Eminentiſſimi Electoris Treuirenſis Cancellarius, & tunc ipſimet Cæ-

ſari erat à conſilijs. Annixuri verò erant, ſi quo modo populum Leodienſem conciliare ac diſponere ad obſequij reuerentiam erga Sereniſſimum Principem poſſent, controuerſiasq́ue aliquas ſaltem præcipuas, pro partis vtriuſque honore vel commodo ſedare.

Certior ego de ipſorum aduentu, Antonium Abundantium, qui mihi eſt à Epiſtolis, iuſſi ad eos ſalutandos confeſtim adire: & me ipſi perinde, per Nobilem Virum ex Aſſeclis ſuis, mox reſalutârunt; atque adeò ex eis vnus inſinuauit, adfuturum ſe pariter & Collegas; vt in ædibus proprijs me inuiſerent, conſuetâq́ue obſeruantiæ profeſſione fungerentur.

Quia tamen in ea me officia venturum ante ipſos arbitrabantur, id recuſaui equidem, gnarus conditionis eorum: nec enim Sacræ Maieſtatis Cæſareæ Oratores erant, quales ad ſubiectas Ciuitates Imperij deſtinari à Cæſare non ſolent; ſed erant dumtaxat eius Commiſſarij. Quocirca cùm eſſet inferior Legato aut Oratore titulus vel dignitas eorum, ab officio abſtinui, nec in mutuo fuimus vel conſpectu vel alloquio.

Indixerant quidem Magnus Decanus & Canonici Ædis primariæ S. Lamberti celebre Sacrum,

in

Digitized by Google

in quo vota Cleri & populi nuncuparentur, offerrenturque Superis ac Deo, pro Patriæ ſalute ac trãquillitate: meque ac ipſos Cæſaris Commiſſarios ad illud inuitauerant: ſed ij in Sacro eodem deſiderati fuerunt.

Nempe inaudierant, mihi locum primum, in ſubſellijs Odæi maioribus paratum eſſe, cum vmbella, ſuſpenſiſque ex ea aulæis: ſibi verò extra eas Canonicorum exedras, iuxta principem aram tamen, ſedes tres adpoſitas fuiſſe, abſque inumbrãtibus aulæis: etſi ſtragulâ veſte & puluillis ante ſedes ipſas inſtructa erant ſcamna, ex quibus pro honore de genu orare potuiſſent. Nihilominus quia par eis decus minimè decernebatur, abeſſe à celebri eo Sacro maluerunt.

Magnus Decanus poſtea conuenit eos, conditionemque muneris eorum exponens clariùs, atque inſinuans haud maiore vnquam in honore habitos, anteactis temporibus, alios quoſque Sacrę Maieſtatis Cæſareæ Commiſſarios, induxit demum; vt nouo in ijſdem ſedibus Sacro, quod pro felici Sereniſſimi Principis, & Leodienſis populi concordia celebrabatur denuò, interuenirent.

Digitized by Google

XXXV.

VEtus controuerſia, quam aliquando Parochi ſuſcitauerant, aduersùs eorum Religioſorum Ordines, qui adminiſtrant Sacramenta in proprijs Templis, rurſus agitari cœpta erat, Coloniæ præſertim ac Leodij: nempe an laicis liceret in Paſchate alibi, quàm in Parœcia per exomologeſim à noxis animum repurgare: ſicuti tum non licet frequentare alibi ſacram Synaxim. Nec erant dumtaxat de eâ re priuati ſermones; ſed è Parochis aliqui pro concione ipſa, velùti definiendo pronunciauerant, id non licere.

Exorti proinde magni motus; cum offenſione graui; tum populi, qui ægrè patiebatur ſuam ſibi adimi libertatem in his, quæ ſpectant ad conſcientiæ regimen aut medelam; tum Religioſorum Ordinum, qui meritò querebantur; reuocari ab eis in dubium certam alioqui, & confirmatam, Apoſtolicæ Sedis oraculo, eorum poteſtatem. Ideò ne motus maior ex periculosâ eâ diſceptatione conſequeretur, ad Colonienſes quidem Parochos litteras dedi, ac propoſui rurſus Clementis VIII. fel. record. ea de controuerſia ſententiam, ac deliberationem: quâ integrum eſſe voluit eiſdem

Reli-

Religioſis Ordinibus tum omni tempore, tum in Paſchate ipſo, pœnitentibus quibuſuis, ex priuilegio Sanctæ Sedis, aures dare: atque item monui, abſtinerent à diſſidijs atque ſententijs, quæ nihil aliud parere poterant, niſi detrimentum charitatis, populorumque aut offenſam, aut certè prauum documentum.

Leodij deinde tum Parochos, tum Ordinum Religioſorum Præſides accerſiui ad Ædes meas; eademque ipſis grauiter ac ſeriò iniungens, ſum hortatus, mutuo eſſent animo; nec deiuuarent inuicem in his, quæ ſpectant ad procurationem animarum: ſed paribus ſtudijs eam imò deinceps promouerent, conferrent opem, piaque æmulatione ſe ab hac parte quodammodo alterutri ſuperarent.

Res ea mox in tranquillo fuit: at non ita multò poſt in Epiſcopatu Paderbornenſi alia ſeri ac vulgari cœperunt: nempe haud poſſe deinceps eoſdem Religioſos Pœnitentium confeſſiones audire, vel in Paſchate, vel in mortis articulo, vel toto anni tempore: laicos inſuper præcepto Eccleſiæ non ſatis obtemperare, ſi Feſtis & Dominicis diebus Rei Sacræ interuenirent in poſterum, in Téplis eorumdem Religioſorum. Occaſionem por-

P rò

rò ea ſerendi arripuerunt ex Diplomate Summi Pontificis, quo priuilegia reuocauerat, conceſſa ex viuæ vocis oraculo: quaſi Ordines Religioſi poteſtatem aliam maiorem antehac exercendi ea munia non habuiſſent.

Dedêre idcirco ſtatim ad me ijdem Religioſi ſupplices epiſtolas, & Sanctæ Sedis patrocinium rogârunt. Quapropter ſcripſi ad Epiſcopum Suffraganeum Paderbornenſem, qui nouæ huius quæſtionis auctor maximè habebatur, ac oſtendi mentem longè aliam fuiſſe Summi Pontificis; cùm priuilegia ex viuæ vocis oraculis accepta reuocauit; nec Religioſis Ordinibus vllatenus ademptam eſſe poteſtatem, ea munia obeundi, quæ antea memoraui: atque ita ceſſauit demum contentio, quæ publicæ quieti alioqui plurimùm officere potuiſſet.

XXXVI.

EX accepta clade ad Lipſiam fractæ vires fuerant, & fracti Catholicorum animi: & tunc repente imperitia, vel metus in propugnandis Arcibus, aditum Hoſti victori magnum aperuerunt; vt viſcera Imperij mox infeſtis armis inuaderet. Ex quo Fulda, Herbipolis, Bamberga, Mo-

Digitized by Google

Moguntia, Wormatia, Spira, aliæque Vrbes atque Oppida fuerunt exiguo tempore, vel expugnata, vel dedita.

Colonia ſuperfuit, Principum exulum perfugium: & hi theſauros, quà Sacros, quà Laicos in eam Ciuitatem importauerant; ſi quibus licuerat tamen illos auehere; antequam ingrueret ea belli vehemens, & ſubita tempeſtas. Ibidem anxiæ curæ Principum & dubia conſilia erant; an ſicut propoſuerat Orator Gallus, expediret deinceps neutri parti, ſeu Cæſaris, ſeu Guſtaui Regis tam arma Principum eorumdem, quàm arma ipſiuſmet Ciuitatis Colonienſis fauere.

Id Coloniæ ſuadebat Orator Chriſtianiſſimi Regis; ſed neceſſarium fore affirmabat; vt in eam Vrbem, pariter atque in alias ditiones Principum Electorum, cohortes præſidiariorum, ex Regis ſui legionibus, introducerentur. Tunc enim reueritus Coloniam Guſtauus Rex, aliò arma conuertiſſet: aut ſi venire hoſtis nihilominus deliberaſſet; prouocaſſet merito Chriſtianiſſimum Regem, ac fœdere extincto inimicitiam, & iram eius experiri cœpiſſet.

Grauis nimirum videbatur ea conditio, admittendi cohortes præſidiarias Regis externi

in Ciuitates ac ditiones Imperij : ſed grauiores multo erant conditiones aliæ , quibus vt neutri parti fauerent deinceps, proponebatur : quia in bello tam ancipiti Cæſarem non iuuare, ſed quaſi deſerere, videbatur maximè alienum à profeſſione perveteri Ciuitatum , ac Principum ipſiuſmet Imperij.

Hoc ſupereſſe tamen conſilij, & eum portum ſecuritatis vnicè adeundum eſſe, iudicabat pariter Apoſtolicus Nuncius Pariſienſis, ad quem ſcripſeram de ingēti clade Religioni Catholicæ, Templisq́ue & Aris illata, per Guſtauum Regem. Quò ipſe Chriſtianiſſimo Regi, ſtatum ærumnoſum exponeret nobiliſſimarum Eccleſiarum Mœni & Rheni: quæ hoſtium iniurijs, ad eius vtriuſque amnis tractum, fermè vniuerſæ patuerant. Credebat enim conducere omnino , vt ſi eſſe neutrales, quod aiunt, antedictæ Ciuitates & ditiones Imperij recuſarent; ob conditiones vtique minùs conſentaneas , quæ proponebantur; ſaltem ad Regem Chriſtianiſſimum adhæreſcerent, Regioq́ue eius patrōcinio ſe ac ſuos tutarentur.

Etenim futurum aiebat, vt Rex copias magnas Metis, ad limites Regni, propediem habiturus, & ibi manſurus etiam, præſto eſſet ijs, quibus erat patro-

patrocinaturus ; & omnem iniuriam ab eis propulſaret. Quocirca illud ſuadere ; rem eſſe arbitrabatur tanti momenti ; vt me ideò facturum operæpretium crederet ; ſi Coloniam migrarem Leodio , efficeremque, vt ea deliberatio iniretur.

Quin imò Sereniſſimus Elector Colonienſis mihi eodem tempore per Virum primarium ſatis indicauerat ; Principum eſſe commune deſideriũ, vt adeſſem , & coram expromerem , quid facto opus. Ego tamen mecum reputans difficultates, quas modò inſinuaui , ac ſciens Electorem Treuirenſem deſciuiſſe à Principum aliorum conſenſu vel fœdere , malui Coloniæ deſiderari ; quàm interuenire conſultationi , cuius neutra pars vnquam ſatis offenſione vel inuidia caruiſſet.

Etenim ſuadere , vt ab auxilijs belli , Cæſareæ Maieſtati offerendis ſuppeditandisque eæ Ciuitates ac ditiones impoſterum ceſſarent , parum videbatur congruere membris S. R. Imperij tam præcipuis , ſecus admittere patrocinium Regis externi , fuiſſet contra leges Imperij ; & fortaſſe officere Ciuitatibus , & ditionibus antedictis , tempore ſuo potuiſſet.

XXXVII.

AGitari pridem cœpta erat lis admodum grauis & pertinens, in Apoſtolico Tribunali meo, inter Sereniſſimum Electorem Colonienſem, vti Leodienſem Antiſtitem & Principem, atque inter Abbatem S. Huberti, cauſa ſiluarum quarundam, quæ intra ipſos Arduennæ ſaltus ſitæ ſunt, iuxta vetus caſtrum Bulloneum, & iuxta nouum Sedani oppidum ac Principatum. Nec poterat prudenter aliquid ſtatui, niſi iugera ipſa earumdem ſiluarum coràm ad terminos proprios exigerentur, inſpicerenturque de ea re Sedanenſis Curiæ monumenta.

Nimirùm ea ſiluarum iugera Leodienſis Princeps mutuò habuerat ab Antiſtite Sancti Huberti, tantundem in alijs aut ſiluis, aut frugiferis fundis, aut certè pecunia repræſentaturus: quando ceſſit eas Principi Sedanenſi, vt poſt difficultates ſatis moleſtas & diuturnas concordia cum eo demum iniretur.

Eò itaque proficiſcens, primùm contuli me ad S. Huberti, quod eſt celebre Cœnobium, tum propter Religioſorum diſciplinam & ſanctitatem, iuxta primæuum inſtitutum S. Benedicti Condi-

toris,

Digitized by Google

toris, & iuxta normam Sodalitij Caſſinenſis; tum propter admirabilem curationem à morſu canis rabidi, quæ fit inſerto in eorum, qui læſi fuerint, fronte licio tenui è Sacerdotali ſtola, quam Sidereus Nuncius Diuo Huberto de cælo attulit, dum Romæ Leodienſis Antiſtes à Romano Pontifice inaugurraretur: tum demum propter eam ipſam ſtolam, quæ deciſa quotannis, vt medeatur, nõ ideò deficit tamen, ſed à multis ſæculis perennat, & oſtendit ſe fuiſſe cæleſte donum, dum ita ipſius cæli refert æternitatem.

Abbas ipſe vir religioſiſſimus, & cui vni accepta debet referri ea, quam memoraui, laus diſciplinæ ac ſanctitatis, famulos Leodium miſerat; qui ducerent, atque in via me honorificè tractârent: & ad limites propriæ ditionis (nam pagos ſatis multos, latifundia, & iugera ſiluarum habet) ſubditorum armatas cohortes venienti adeſſe voluit. Ab his verò crebræ militares exploſiones in via, & de genu quidem fiebant; dum in Rheda ego pertranſirem: tantâ erãt obſeruantiâ erga Sanctam Sedem.

Sed Abbas ipſe etiam adfuit obuius, & cum obſequio ſummo me in ſepta cœnobij introduxit. Priùs tamen in Tẽplo indutus veſte compluuiatâ,

cum

Digitized by Google

cum agmine Religioſorum me admiſerat, vti Apoſtolicum Legatum. Tandem re diſpoſitâ eundum fuit Sedanum; cùm adeſſent nomine Sereniſſimi Principis Leodienſis duo intimi eius Conſiliarij. In ea porrò Ciuitate, quæ ſita ad Galliæ limites, eſt altera Geneua, & in qua ſunt omnes ſordes Caluinianæ prauitatis, exceptus ſum eo nihilominus honore, vt inuiſerint me ſtatim Præſides Vrbis, & Matrona, quæ eſt eiuſdem Vrbis Domina & Soror germana Principis Auraſiæ, mihi vni concesſerit, quòd impetrare ab ea non potuerant, vt ipſamet narrauit, Cardinalis Ioyeuſe, & Archiepiſcopus Rhemenſis: etſi in huius diœceſi eſt Sedanenſis Principatus. Nempe vnum ibi duntaxat eſt Templum Catholicorum, & vnum ibi ſacrum à ſolo eius Templi Parocho celebratur. Volui ego vt pro me ibidem Aris perlitaret alter ex his, qui mihi erant à Sacris, idque ab ea Principe demum obtinui: quæ, vt dixi, profeſſa eſt ſe mihi in re annuere, in qua recuſauerat alijs, etſi erant conditionis maximæ, gratificari.

XXXVIII.

Vix Leodium Sedano remeaueram, cùm adfuit mihi Præſes Monaſterij Siburgenſis, nobi-

nobilis Religioſus & miſſus ab Antiſtite ſuo item nobili; vt quia is Poſtulatus fuerat Abbas, & Princeps Fuldenſis, formarem proceſſum Poſtulationis, Romamque tranſmitterem: quò nimirum de Confirmatione Apoſtolica ibidem agi poſſet.

Ea res implexa & plena difficultatum erat, nam ex quo Ioannes Bernardus Fuldenſis Abbas, & Princeps, de ſuo inſigni Cœnobio ac principatu optimè meritus, obierat traiectus glande, in exercitu Cæſareo; dum prælium fermè decretorium, totis caſtris ad Lutzen committeretur, deſideratis hinc Comite Pappenhemio inclyto Heroe, illinc ipſo Guſtauo Rege Gothorum, qui duo belli fulmina fuerant. Ex quo, inquam, Ioannes Bernardus obierat, etiam veteres Præpoſiti Monaſterij Fuldenſis, quibus eſt ius eligendi, & qui ad comitia, quoniam in diuerſis regionibus erant, nullatenus poterant conuenire, in tres Imperij Principes, & aliquos Antiſtites Ordinis S. Benedicti ius proprij ſuffragij tranſtulerant; vt ſaltem per compromiſſum, quod vocant, nouus Fuldenſis Abbas & Princeps ab eis eligeretur.

Terni Principes illi erant Eminentiſſimus Archiepiſcopus atque Elector Moguntinus, Epiſcopus Herbipolenſis, & Epiſcopus Wormatienſis:

Digitized by Google

ijdemque ſuffragio ſuo Ioannem Adolphũ Hoheneck Præpoſitũ S. Petri, & Profeſſum Abbatiæ Fuldenſis, eiuſdem Abbatiæ Antiſtitem ac Principem dixerunt. Is verò fuerat aliquando Alumnus Romæ in Collegio Pontificio nationis Germanorum, & præ alijs Præpoſitis habitus ſemper fuerat dignus qui Antiſtes ſupremus eligeretur.

Anteà tamen alij Religioſi, qui tranſcripti fuerant in familiam Fuldenſem, poſt reſtitutam à me in ea veterem diſciplinam, & ex quibus aliqui Capitulares, quos vocant, nondum erant, ſeu quia deerat eis Ordo Sacerdotij, ſeu quia deerat nobilitas, ſine qua nulli ab annis trecentis ius ſuffragij Fuldæ habuerant, Comitia nihilominus inierant: & cùm ex antiquis Præpoſitis neminem dignum honore ſupremo iudicarent, poſtulauerant Antiſtitem Principéque Abbatiæ, ac ditionis Fuldenſis, Bertramũ à Bellinckhauſen, qui Abbas erat, vt dixi, Monaſterij Siburgenſis. Tum verò diuiſa ſunt Principum ſtudia; nam erant Coloniæ, qui Electo, erant Viennæ, qui Poſtulato fauerent.

Indicaui ego hæc omnia Em^{æ} V^{æ}; & ab ea poſtmodum intellexi, iubere Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, vt proceſſum formarem Electionis pariter, ac Poſtulationis. Quo dein Romæ,

vtri

vtri Apoſtolica Confirmatio deberetur, æſtimatis vtriuſque partis ſuffragijs, deliberari poſſet.

Id cauſſæ fuit, cur impenſè rogatus à Præſide Siburgenſi, & à viris aliquot primæ Nobilitatis, quos Siburgenſis Abbas ad me miſerat, Coloniam iuerim. Etſi periculoſum erat, eò tunc proficiſci; cùm Sueci frequenter tranſmiſſo Rheno, in citeriore eius ripa quoque prædas agerent, & cædes item viatoribus inferrent. Nec à Suecis modò erat metuendum, ſed à Batauis pariter, & ab Hiſpanis militibus, qui populabundi ficto Suecorum nomine, paſſim vagabantur. Ibi ritè omnia, quæ ad Electionem pariter, & ad Poſtulationem ſpectant (auditis teſtibus perquam idoneis) in commentarios retuli: eaque dein Romam perlata, ſtatim fuerunt arbitrio ſubmiſſa Præſulum illorum, quibus Summus Pontifex diſcuſſionem totius controuerſiæ demandauit.

XXXIX.

CÆterùm quia Coloniam ex inopinato aduceneram, nec licuerat epiſtolas antemittere, quibus conſilium eò proficiſcendi inſinuarem Principibus, qui in eadem Ciuitate Colonienſi morabãtur, & qui Ioãnem Adolphum Hoheneck

Digitized by Google

Fuldenſem Antiſtitem ac Principem elegerant: ſaltem poſtridie ab aduentu Ioannem Baptiſtam de Ninis Auditorem meum ad eos miſi, qui ore tenus id indicaret; excuſaretque ſubitam profectionem meam.

Aduenêre ideò eadem die ſalutatum officioſiſſimè, tum Epiſcopus & Princeps Herbipolenſis, tum Epiſcopus & Princeps Wormatienſis. Eminentiſſimus verò Archiepiſcopus & Elector Moguntinus Nobilem Virum ex Aula ſua miſit rogatum., quanam horâ me eodem pariter die adire poſſet; atque ego aduentum Emæ Eius omnibus horis, ſeu cùm libuerit, fueritúe commodiùs, me exſpectaturum reſpondi.

Nihilominus cùm primæ iam tenebræ appeterent, redijt idem ille Nobilis Vir, atque affirmauit; obueniſſe negotia, quæ impediuerint, quò minùs inuiſerit me eo die. Ego viciſſim oſtendi, me excuſationem æqui-boni conſulere, & momenta ei commodiora opperiri velle. Circumegerant ſe aliquot intereà dies, quos impenderam in Commentarijs formandis antedictæ tum Electionis, tum Poſtulationis: & poſt eos idem Elector Moguntinus miſit alios, qui me ad conuiuium inuitarent. Feceram verò aliquam ego ſpem, ratus

priùs

Digitized by Google

priùs ad me venturum, quàm ego conuiuium eius adirem.

Quocirca cùm non adfuiſſet, deſtinaui ad Em. Eius Antonium Abundantium, qui mihi eſt ab epiſtolis; ac iuſſi, ſignificaret, me negotijs perinde impediri, quò minùs eo die ipſius conuiua eſſem. Id verò fuit antemeridianis horis eiuſdem diei, in qua epulum apparauerat ſatis honorificè ac lautè: vt proinde deprecanti conuiuium acquieſcere ſtatim non potuerit, ſed Nobiles Viros ex Aſſeclis ſuis cum rheda potiùs venire iuſſerit: ſi quo modo ij poſſent efficere officioſis ſuis perſuaſionibus, vt à me prandium acceptaretur. Manſit tamen eadem voluntas, neque tunc Coloniæ ambo ſimul vnquam fuimus: etſi aliquoties per idoneos interpretes egimus, de Electi Antiſtitis Fuldenſis præſertim impetranda Romæ Apoſtolica Confirmatione.

Non eram neſcius, Electorem eò collineaſſe, vt ſpecie conuiuij traheret me primum ad ædes ſuas; & ideò poſtmodum Viro graui, & cui præbet ipſe familiares aures, per epiſtolam expoſui: aliàs ſemper citra controuerſiam Electores, in quouis publico, & maximè proprio ſeu congreſſu, ſeu conſeſſu, Apoſtolicis Legatis cedere conſueuiſſe.

Digitized by Google

uiſſe. Ita Coloniæ, inſtitutâ celebri ſupplicatione, Ioannes Baptiſta Caſtaneus Archiepiſcopus Roſſanenſis, & Apoſtolicus Legatus proceſſerat medius, inter Gebardum Truchſeſium Colonienſem Electorem, & Iacobum Electorem Treuirenſem. Cùm deinde adſequerentur Iulius Herbipolenſis Antiſtes, vti Orator Cæſareus, Carolus de Aragonia Dux Terræ nouæ Orator Hiſpanus, & Philippus Dux Arſchotanus, alijque Oratores Prouinciarum Belgij. Atque adeò Francofurti non aliter, in ipſa Maximiliani Regis Romanorum inauguratione, ſedit ſupra ipſos Electores Apoſtolicus Legatus, poſt eos verò Electores aſſedere Principum aliorum Oratores.

Michael ab Iſſelt de bello Colon.

Petrus Soaue in Hiſtoria Con. Trid. ad An. 1562.

X L.

Conſules & Magiſtratus, dum eram Coloniæ, præter vſitatas ſalutationes, gratulationesque aduentûs mei, etiam eo nomine mihi adfuerunt; vt grates referrent Summo Pontifici, quòd non ita multò ante Ciuitati Colonienſi dena millia Imperialium largitus eſſet: opportunum vtique ſubſidium, quia tunc nouis operibus munire Vrbem, & vallum firmis propugnaculis, aduerſus hoſtes propinquos, tutari oportuerat: poſtquã

Sibur-

Digitized by Google

Siburgenſe Caſtrum inuaſerant Succi, & ibi opes belli præcipuas conſtituerant.

Sed Tuitij maximè adlaborabant Colonienſes Ciues; hærebat quippe animis periculum recens; in quo eorum Ciuitas fuerat: quando Baudiſius cum valida prædonum veriùs, quàm militum manu eum pagum occupauerat: habiturus Ciuitatem grauiſſimis obnoxiam iniurijs, quippe aduerſam & ſolo Rheni alueo diuiſam; ſi figere in eo pago ſtationem potuiſſet.

Certè multorum ſententia fuit, fore vt ad deditionem cogeretur, aut ad pacta iniqua deſcenderet Colonienſis Ciuitas; ſi perpaucorum dierum interuallo inde quateretur, extructo ab hoſte aggere tormentario. Ideò ſaluberrima fuit alacritas eorum ciuium, qui priuſquàm otium Baudiſio eſſet, eundem aggerem exſtruendi, ante lucem, defenſi tenebris & nebulâ, traiecerunt armati Rhenum, hoſtemque aggreſſi tormentis maioribus ex vrbe intereà fatigatum, tantâ vi atque impreſſione tam vehementi ex pago exturbârunt, vt ei ad abitum conclamare vaſa minimè licuerit.

Illud tamen laudare non potui, ſtudio muniẽdi Tuitium, imminutam Coloniẽſis populi obſeruan-

uan-

uantiam ergà magnum Decanum, aliosq́ue Summi Templi Canonicos. Quos vtique cum tumultu paulò ante adegerat, vt ex ædibus clauſtralibus, quas vocant, ad locum habendi conſeſſus migrarent, ac darent conſenſum: quo demum locus ille vallo & foſsâ defenderetur.

Neque enim Senatui ac populo Colonienſi eſt ius aut poteſtas vlla in propinquos pagos, aut in finitima Vrbi iugera terrarum. Et verò videbatur metuendum, ne Tuitium iam ita muniretur, vt poſteà eſſet Arx opportuna tuendæ, confirmandæq́ue libertati, in quam Senatus Populusque ſenſim vindicauerat ſe; Archiepiſcopo Electore ac Principe paulatim excluſo, ſi minùs à titulo, & à iure, ſaltem ab exercitio, vel vſu omnis fermè iuriſdictionis ac poteſtatis.

Effeci proinde, vt Senatus contineret in officio plebem, atque audaciam coërceret quorundam, qui tam parum reueriti fuerant, in Ciuitate maximè Catholicâ, ſupremum Ordinem Sacerdotij. Quapropter motus ille prorſus quieuit, præſertim habito conſenſu de Arce in pago Tuitij extruenda quidem, ſed mox etiam, vbi primum à belli præſentis graui tempeſtate conſerenauerit, diruenda.

XLI.

Digitized by Google

XLI.

POſtquam cadere Traiectum oportuit, toleratâ diu Principis Auraſiæ, & exercitus Batauorum obſidione; Sanctiſſimus Dominus Noſter, ſecum reputans inclinationem Catholicæ Religionis, quam pati ſenſim poteſt ea Ciuitas, ſubiecta Dominis infectis contagio Hæreticæ prauitatis, illud ſubſidij pro eius conſeruatione ſuppeditauit; vt ibidem in duobus Collegijs Canonicorum, nempe S. Seruatij Patroni ac Tutelaris, Deiparæque Virginis, Sacerdotia voluerit citò diſtribui; ſi ea in menſe Apoſtolico vacauerint. Ideò mihi poteſtatem conceſſit, quatuor primos Canonicatus vtriuſque Collegij conferendi, in menſibus Pontificijs: ſed neceſſe habui, obicem magnum, dum id ſemel conarer, experiri.

Ne ſpatium Batauis eſſet conſultandi, aut pro poteſtate intercedendi, prohibendique admiſſionem; poſtquam vni, ex deſtinatione peculiari Sanctiſſimi Domini Noſtri dederam iam Sacerdotium, in Eccleſia S. Seruatij; credideram in rem fore; ſi vteretur ille tantùm obſignatis à me litteris, ad capeſſendam poſſeſſionem.

Nimirum interpretabar, conſenſum Senatus Batauorum haud eſſe rogandum: etſi enim iam perinde Bataui, (atque antehac Duces Brabantiæ, ſeu Reges Hiſpaniarum) nolunt Sacerdotia, & Eccleſiaſticas dignitates, ex Sanctæ Sedis diſpoſitione, à quoquam adiri; abſque ſuomet conſenſu, quod *Placetum* vulgò appellant. Rebar equidem eum conſenſum rogari debuiſſe dumtaxat, quoties Romæ, hoc eſt in regione longinqua, honores Eccleſiarum Belgij diſtribuebantur. Secùs verò eſſe, quando in ipſiſmet Prouincijs Belgarum ij conferuntur ab Apoſtolicis Legatis: quoniam hi coram adſunt, nec metuendum videtur; ne honores ijdem Viris perparùm idoneis decernantur.

Decanus tamen, & Canonici S. Seruatij cenſuerunt, Senatui Batauorum omnino exhibendas litteras collationis; vti maximè ipſorum intereſt iam, cum alienæ ſectæ Dominis circumſpectè agere. Tum verò Bataui, inſtructi à Miniſtris ſectæ Caluinianæ, inhiantibus auidè ad ea Sacerdotia, vt Dei cultum inquinent ſacrilegio, & ex patrimonio ſacro abdomen ſuum liberalius ſaginent. Bataui, inquam, ita inſtructi, etſi expeditæ fuerant litteræ antedictæ, & propoſitæ rationes,

Digitized by Google

tiones, propter quas conſenſus negari ab eis non debuiſſet, nihilominus inhibuerunt Canonicis ijſdem; ne is, qui Sacerdotium à me obtinuerat, aut quiuis alius poſtmodum, qui Apoſtolicas litteras acciperet, ad poſſeſſionem admitteretur. Ac ſimul reſcripto iniquiore pronunciarunt; haud plus poteſtatis, aut iuriſdictionis debere permitti Romano Pontifici, in Oppido Traiectenſi; quam ei permittatur in ceteris Vrbibus, Oppidis, & Municipijs fœderatarum Prouinciarum; in quibus videlicet nulla ei poteſtas permittitur, vel iuriſdictio.

Vbi iactam eſſe hanc aleam à Batauis agnoui; & ſi conſideraui, ab eis ludum haud omnino inſolitum ludi; cùm Vltraiecti, Arnhemij, Amſterodami, olim conceſſam, fide manifeſta, & publicis tabulis, Religionem Catholicam, ſolâ legum iniquarum violentiâ, penitùs ſuſtulerint; ſtatui nihilominus omni conatu ius Apoſtolicæ Sedis, in re præſenti, propugnare.

Dedi proinde fiduciarias litteras ad Principem Auraſiæ: nam eum hoc pacto à me cõpellari poſſe potius, quàm Senatum ipſum Batauorum (ſi opus foret ſcribere ad Sectarios in cauſa Religionis aut iuriſdictionis) ſignificauerat Eminentia V^a^. Tum

Digitized by Google

Ioanni Vanderweecken, Viro Catholico, & qui nomine Sereniſſimi Principis Leodienſis reſidens apud Batauos, audit eruditus & prudens, ſcripſi omnia, quæ iuri Apoſtolicæ Sedis mihi videbantur ſuffragari: quò de ijſdem ipſe ad Principem Auraſiæ coram, Hagæ Comitis, referret.

Nempe cùm pertineret ad honorem & famam ipſius, pacta ea ſeruari, quæ Sacramento firmauerat, quando potitus eſt Oppido Traiectenſi, hortatus ſum, ſiquidem ſectatur gloriam, vt à Senatu Batauorum, pactorum eorundem exigeret fidem.

Adhæc quoniam profeſſi fuerant Bataui, ſe in ea dumtaxat venire iura; quæ fuerant olim Ducum Brabantiæ, ſeu Regum Hiſpaniæ: atque inſuper quoniam omnia Eccleſiæ Catholicæ ſeu membra, ſeu bona fore deinceps intacta, iureiurando promiſerant. Idcirco petij, ſinerent Romanum Pontificem frui libero iure diſponendi de Sacerdotijs, quæ altero quouis menſe Traiecti vacant: quandoquidem hoc ius nunquam fuerat Ducum Brabantiæ, ſeu Regum Hiſpaniæ. Neque adeò impedirent; quò minus Caput Eccleſiæ Catholicæ, hoc eſt Romanus Pontifex, aut influeret benignè in membra eiuſdem Eccleſiæ; aut bo-

na,

na fortunasque eius, ſicuti egit antea tranquillè ac perpetuò, diſpenſaret.

Sed & ſcripſi, haud congruum videri exemplum aliarum Ciuitatum, quæ ſubſunt regimini fœderatarum Prouinciarum. Nam cùm illis pacta recentiſſima non intercesſerunt perinde, atque cum Oppido Traiectenſi. In quo præ illis propterea exercitium Religionis Catholicæ, Aræ, Templa, & Sacerdotes manent; vetusque Fidei Romanæ atque Apoſtolicæ profeſſio perſeuerat.

Ceterùm adieci, Summum Pontificem hactenus à Batauis habitum eſſe Principem, qui ſit extra omnem ſocietatem belli cum Hiſpano Rege (neutralem vocant) idcircò fas non eſſe, vt ei quicquam adimant, ſi cum ipſo bellum non geſſerunt. Quod ſi fecerint, intelligant ei ab ſe iniuriam irrogari, qui non modò eſt ſupremus Præſes Orbis Chriſtiani vniuerſi, in his quæ ſpectant ad veram Religionem; ſed eſt quoque Princeps magnus, & compos temporariæ ditionis; cui amplis ſtudijs Reges, & Proceres Maximi Europæ obſequuntur.

Eſſe ideò cur Bataui poſſint metuere; ne ij Magnates & Reges grauiùs accipiant; cum Romano Pontifice ita iniurioſè agi, ſpoliarique eum

iure tam antiquo. Néve ex ijs aliqui negent auxilia impoſterum ad bellum; ſi demum agnouerint; à Batauis, dum ita cum Romano Pontifice agunt; non vtique geri bellum Regionis, quod aiunt, ſed bellum Religionis.

Princeps Auraſiæ ſenſit harum rationum pondus, ſuaſitque, vt Ioannes Vanderveecken eas traderet diſcuſſioni ſex Iureconſultorum, qui partim eſſent Catholici, partim Sectarij: quo dein certius efficeret, ne Batavi rem præſentem, pro ſola voluntate definirent. Conſcius ego huius deliberationis, reſcripſi; me ſtare quidem ſententiæ ipſorum nolle, at ſuffragium eorundem nihilominus expectare; quòd crederem, fore conſentaneum æquitati.

Nec aliter fuit; nam ij Iureconſulti, communibus calculis, & mirâ conſenſione cauſam Romano Pontifici adiudicârunt; nouiſque rationibus, rationes à me propoſitas, ſeu quod inde fit; ius Apoſtolicæ Sedis non mediocriter confirmârunt.

XLII.

TRaiecto dedito, & ſimul occupatâ Lymburgi Prouinciâ, cùm viderem exitu rerũ,

&

& ſama in dies augeri opes Batauorum, vnaque inuolui ruinâ, cum Oppidis & Prouincijs, Religionem Catholicam, propoſui Sereniſſimo Electori Colonienſi conſilium, quod ipſe ſtatim arripuit. Nempè vt maturè ageret cum Sereniſſima Belgij Principe, & cum Adminiſtris Hiſpani Regis, quò ipſi Rheinbergæ munitionem Coloniẽſi Eccleſiæ, de cuius patrimonio erat, reſtituerent: priuſquam Bataui ea potirentur.

Videlicet Weſalia etiam iam ſtaret: niſi à præſidiarijs Regijs munita, Batauis anſam dediſſet, eam inuadendi. Idem imminere caſus videbatur Rheinbergæ, quæ ſola in tractu Rheni ſupererat hoſti tentanda, & quod verebar etiam, vincenda.

Sereniſſimus Elector, ſuaſu meo, eam Vrbem repetere Bruxellis deliberauit: & porrò id magnopere vrſit. Sed Hiſpani fiducia virium ſuarum in ſpem euecti eam retinendi, ſeu marte aperto, ſeu ſtratagemmate hoſtes eandem adorirentur, annuere Serenitati eius recusârunt. Mox Bataui vix caſtra figere circa eam cœperunt; cùm ad deditionem coëgere; non ſine Præfecti quadam infamia; qui nihil militare agere, aut pati auſus fuerat, pro illius neceſſaria, aut ſaltem honeſta defenſione.

XLIII.

Digitized by Google

XLIII.

FVerat Coloniæ Otho Senheim, Religioſus Ordinis S. Dominici, ac deſignatus Epiſcopus Suffraganeus; ab Eminentiſſimo Archipræſule atque Electore Treuirenſi eò miſſus; quò ibi tum eius Eminentiæ, tum Regis Chriſtianiſſimi nomine, ageret cum Othone Gereone Suffraganeo Colonienſi, & Hartgero Henoto Eccleſiæ primariæ ibidem Canonico; atque ij dein exponerent Sereniſſimo Electori Colonienſi, quidquid ille inſinuauerat. Rumor interim erat, eum promouere in Ciuitate Coloniẽſi Regis Chriſtianiſſimi patrocinium; quod alioqui, in plebe præſertim, nunquam benignè accipiebatur.

Is cùm Confluentiam in Rheno aſcenderet, coactus eſt nauem appellere ad ripam, inſeſſam ab Hiſpano milite: mutatoque Religioſi Ordinis ſchemate, & laico inuolutus habitu, violenter abductus eſt Iuliacum; ibique arcta in cuſtodia deinceps habitus eſt.

Mox ad me querimoniæ Eminentiſſimi Electoris Treuirenſis perlatæ ſunt; qui vrgebat, vt quia in Rheno captus fuerat, id eſt in Legatione mea, in qua etiam eſt Arx Iuliacenſis, procura-

rem

rem illius liberationem. Itaque dedi ad Sereniſſimam Belgij Principem litteras, & partim in eis expoſui; facinus eſſe, Virum Religioſum, Sacerdotem, ac Epiſcopum capere, & carceri mancipare: quaſi cæleſtium execrationes grauiſſimæ non prohibeant omnem vim, & iniuriam à corpore eorum, qui Eccleſiæ ac Deo militant, & qui ſunt ſacris ordinibus initiati: partim rogaui Illuſtriſſimum Nuncium Bruxellenſem, id ore tenus Celſitudini eius ſuaderet efficaciùs: quò demum alter in priſtinam libertatem aſſereretur.

Sereniſſima quidem annuere ſtatuerat; ſed inſinuauit eſſe agendum priùs cum Eminentiſſimo Electore Moguntino. Interea, cùm rem totam retuliſſem ad Eminentiam Veſtram, breui oppreſſa morbo, longum ſui deſiderium Prouincijs, quas ſummâ æquitate & moderatione rexerat, reliquit, vti Heroina & Mater Caſtrorum pariter ac regionum, quibus mitiſſimo imperio præfuerat. Cum Marchione de Aytona ideò agendum fuit, qui Præfectus iam erat gubernaculis Belgij ab Rege Hiſpano: & is acceptis eodem tempore Apoſtolicis litteris à Sanctiſſimo D. N., in quibus libertas eiuſdem Epiſcopi Suffraganei Treuirenſis admodum ſeriò petebatur, paruit; ac mandauit

Digitized by Google

Arcis Iuliacenſis Moderatori, è cuſtodia eum abire permitteret.

Quæ dum Eminētiſſimo Archiepiſcopo Treuirenſi perſcriberem,& dum à Marchione de Aytona iteratum liberationis eius mandatum expectarem (id enim rogaueram, quò certius & citius ille dimitteretur) Marchio idem mutato conſilio iuſſit, Iuliaco eum ad me deſtinari; integrum relinquens Summo Pontifici, vt de ipſo decerneret, ſicut magis conſentaneum iudicaret.

XLIIII.

QVæ ſunt hactenus narrata, ea maiori ex parte inſtructioni reſpondent, mihi propoſitæ ab Eminentia Veſtra; dum Legationem primùm auſpicarer. Superſunt nonnulla, quæ attexam inſtar ſupplementi: eaque iam expediam quàm breuiſſimè.

Cùm nihil habuerim prius aut potius; quàm vt Religionem Catholicam rurſus in Prouincijs Germaniæ ſtabilirem; ideò crebris epiſtolis, dum fierent præſertim Comitia Mulhuſij, ac Ratisbonæ, ſum hortatus Eccleſiaſticos Electores; vt crederent, ſollicitudinem præcipuam ſui ipſorum debere eſſe; Hæreſim aut retundere omnino;

aut

aut hebetare; ſiquidem à ſimultatibus, & à cruentis diſſidijs Imperium pacatum aliquando eſſe vellent.

Eos perinde, quibus Ferdinandus Cæſar demandauerat bonorum Eccleſiaſticorum recuperationem, ac præ alijs Epiſcopum Oſnaburgẽſem identidem exſtimulaui, vt cordi rem tanti momenti haberent. Quæ verò ſucceſſu læto ab ipſis peragebantur, eorum à me conſcia fiebat ſtatim Em.a V.a: & vt interdum reſcripſit, Sanctiſſimi D. N. aliquoties magnopere animum ea exhilarârunt.

Præter Ciuitates complures Inferioris Saxoniæ, in quas armata pietas Comitis Ioannis Tillij Religionem Catholicam velut poſtliminio reduxerat; Comes Ioannes, & Comes Ioannes Ludouicus, ambo Naſſouij, ille quidem Sigenæ, hic Adamariæ, atque in propinquis pagis patrimonij ſui, ablegatâ Hæreſi, Religionem veram ac veterem reſtituerunt; ex quo tempore fui ego in Legatione; meamq́ue ad id opem neuter eorum vnquam deſiderauit.

Ad hæc eſſet quidem perneceſſarium, auctoritate Apoſtolicâ viſitare Canonicorum Collegia: ſed opus irritum erit, niſi auxilium adſit brachij ſæcularis. Certè in Eccleſijs Cathedrali-

Digitized by Google

bus, cùm præſertim ſedes vacat, Canonici quædam ſponte ineunt pacta; eaque confirmant ſinguli iureiurando, vt ſeruentur certiùs ab eo, qui eſt futurus inter ipſos Antiſtes & Princeps. Semper verò eiuſmodi pacta eo collineant, vt Canonicos ab Epiſcopi eximant poteſtate.

Præterea dum Sedes vacat, ſubtrahunt ſæpè annuos prouentus ab Epiſcopali menſa quam vocant, eoſdemque addicunt menſæ Capitulari. Hi verò, & ſimiles abuſus tollerentur facile, ſi ſimul Pontifex, ſimul ſupremi Principes darent operam, vt ea pacta reſcinderentur, abrogarenturque. Interdum ea paſſim nota non ſunt, quia ne emanent, ſtudio magno ab eiſdem Canonicis cælari ſolent. Cæterùm ego, vti narraui ſuperiùs, inſpectionem obiui tum Diœceſeos Leodienſis, tùm Fuldenſis Abbatiæ fructu non contemnendo, & de quo fama in finitimas Prouincias cœpta eſt illico peruagari.

Ad pias expeditiones, ſeu miſſiones deſtinare non debui alios ab ijs, quos elegerat, deſtinauerat que Sacra Congregatio de propaganda Fide. Sed ſum hortatus eos ſaltem crebris epiſtolis, vt agrum Domini ſedulò excolerent; deque ipſorum induſtria, & meſſe vberiore poſtmodùm retuli, tum

ad

ad Eminentiam V., tum ad Eminentiſſimos alios Cardinales eiuſdem Sacræ Congregationis.

Circa Monaſterij Noueſienſis grauem, & difficilem controuerſiam effeci, vt obtemperaretur Sacræ Rotæ Romanæ deciſionibus, atque ſententijs. Tametſi Sereniſſimus Ferdinandus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis initio id impedire omni ſtudio, atque ope anniteretur: nam interpretabatur, citra damnum ſui honoris, ſuæque exiſtimationis non poſſe eiſdem obtemperari: quandoquidem Serenitatis Eius partes antea fuerát, exequi Pontificium Diploma Gregorij XV.

Libros, qui vel Religioni Catholicæ, vel Apoſtolicæ Sedi videbantur graues atque iniurioſi; atque adeò eos, qui Sacræ Congregationis Cenſuram meruerant in Indice Romano, expungi & eradi ex albo aliorum Codicum, quantum licuit in Prouincijs Hæreſi obnoxijs, curaui. Sed & peculiariter Francofurti, dum nundinæ inſtarent Veris aut Autumni, primas in Generali Catalogo deferri iuſſi Catholicis ſcriptoribus; ac dein accenſeri eis Scriptores Sectarios; cùm anteà ijs eorumque damnatis codicibus honor in eo Catalogo præcipuus tribueretur.

Quæ fuerat conditio Epiſcopatuum, Eccleſia-

Digitized by Google

rum, & Cœnobiorum; quæque in his vſurpaue-rant Hæretici, aut quæ Catholici, ex Cæſaris decreto recuperauerant, ea Em^{æ} V^{æ} ſignificaui tempore ſuo. Scripſi pariter de inſpectione locorum Eccleſiaſticorum, in Vniuerſo Palatinatu obita à Ioanne Baptiſta de Ninis Auditore meo, ſimul & ab Epiſcopo Suffraganeo Spirenſi, ex particulari partim deſtinatione, partim voto Eminentiſſimi Archiepiſcopi & Electoris Treuirenſis; qui eſt pariter Epiſcopus & Princeps Spirenſis.

Cum Epiſcopis & Principibus meæ Legationis ita egi, officia & obſequia certatim deferendo; vt Sedem Apoſtolicam in honore magno, & me in amore præcipuo ſemper habuerint. Quoties inuiſere me oportuit Sereniſſimum Electorem Colonienſem; toties obuium eum habui, extra omnia conclauia: & is me deinde ad Rhedam vſque abeuntem deduxit. Eadem ſpecie officiorum vſus eſt mecum Em. Elector Moguntinus, quando ipſum adiui. At Em. Elector Treuirenſis, quoties Confluentiæ fui, cum Rheda eò, quo diuerteram venit, vt me duceret ad Ædes proprias: diſcedentem verò ad nauem vſque comitatus eſt.

Congregationi Burſfeldenſi Ordinis S. Benedicti, auctor ſemper fui, vt è ſingulis Cœnobijs, dele-

Digitized by Google

delectos iuuenes, poſt exactum Tyrocinium ad ſtudia Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ mitteret Coloniam; in qua nimirum Ciuitate proprij Ordinis Seminarium habet.

Idem ſuaſi pariter Ordinibus Præmonſtratenſi, ac Ciſtercienſi: & ille quidem ibi Seminarium ſuis Religioſis perinde aperuit, ad bonas animi artes capeſſendas, referendamque Sacræ eruditionis famam: hic verò, quoniam fuerunt hactenus ſtudijs tranquillis parum amica tempora, vel parùm certè commoda impenſis erogandis pro Seminario ſimili erigendo, ſuos ſaltem Religioſos in Cœnobia diuerſa Ciuitatis Colonienſis, item ſtudiorum cauſſa, ire permiſit; vt ſanæ doctrinæ ſubſidio, diſciplinam Ordinis certiùs retineret.

Oculo ſemper vigili conatus ſum tueri Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam iuriſdictionem Leodij, circa cognitionem cauſſarum: cùm ei non Spirenſe Prætorium modò; ſed ipſa Tribunalia Sereniſſimi Principis ac Ciuitatis Leodienſis perpetuò inſidientur. Etenim ægrè ac vix ferunt: Iudices Apoſtolicos & Eccleſiaſticos, vel ius dicere Leodij in cauſſis Laicorum tam Ciuilibus, quàm criminalibus: vel eaſdem cauſſas in gradu appella-

tionis,

tionis, ex conſuetudine perueteri deuolui, ſeu ad Metropolitanum Colonienſem, ſeu ad Sanctam Sedem. Cui profectò eſt imprimis honorificum, & glorioſum hoc iuriſdictionis exercitium in Germania, atque in Imperio: nam ex eo, ſi bene adminiſtratur, augetur plurimùm Apoſtolici Nuncij exiſtimatio, Clerique dignitas ac poteſtas ſimul creſcit: è Clero enim ſunt Iudices, quibus diſcuſſio demandatur iſtiuſmodi cauſſarum.

Equidem fateri poſſum; me Coloniâ migraſſe, manſionemque Leodij ſtabilem fixiſſe, cum impenſis pro me & familiâ longè maioribus; vel ideò vt aſſererem antedictam iuriſdictionem, quæ ſine exemplo eſt in Germania, atque in Imperio; & vt retunderem Spirenſium mandata, quæ crebrò aduerſus ſententias Iudicum Apoſtolici, vel Eccleſiaſtici tribunalis ex eo Cæſaris Prætorio manabant.

Caui deinde ſtudio magno, in reſcriptis ad libellos eorum, qui prouocabant, ne quid præiudicij paterentur partes, aut in Poſſeſſorijs, aut in ſententijs Prouiſionalibus, aut in tribus conformibus. Si verò cognitio cauſſarum retineretur, diſcutienda in meo Apoſtolico Tribunali; ſemper iniunxi meo Generali Auditori; vt antequam circa

ca eas definiendo pronunciaret, de iure ipſarum ad me referret. Partes ambas prætereà coram me in ius deuocabam, vt pro ſe quæ parauerant, promerent, atque adeò inuicem opponerent; donec ipſiſmet in comperto eſſet, vtri ſuffragaretur æquitas.

Ita fiebat, vt plærumque nullæ audirentur querimoniæ partis, cui lis abiudicabatur, nec prouocaret ad Curiam Spirenſem; ſed potiùs latæ ſententiæ omnino acquieſceret. Aut certè, agnoſcens eſſe conſentaneum & pertinens id, quod me aut meum Generalem Auditorem in eam ſententiam induxerat, ad Sanctiſſimum D. N. dumtaxat prouocans, exſpectabat, abſque perfugio ad poteſtatis Laicæ tribunalia, tantummodo ex Vrbe reſcriptum.

Effeci prætereà, vt meus Generalis Auditor ſportulas moderatas exigeret; hoc eſt minores multò, quàm exigant iudices primæ aut ſecundæ ſententiæ; quo ita minùs cenſeretur odioſa eadem Sedis Apoſtolicæ iuriſdictio. Quin etiam, quò ego cauſſis magis obſequens forem, nouennium ita vixi Leodij; vt manſerim domi perpetuò, quando erant dies negotioſi, ſeu dies fori: excepto quòd paulò ante primas tenebras in Rheda interdum ſpa-

tiarer per Vrbem, vt captarem nonnihil laxamenti, vel otij. Interim momenta diei omnia Aduocatis, alijsque Cauſidicis, & Scribis, & Partibus, inter quas lites erant, impertiebar non ſine magno earundem ſolatio vel commodo; cùm anteà illiuſmodi arbitria vt plurimùm in Auditorem reijcerentur, tædio inamœnæ contentionis, quæ ſolet eſſe in iure dicundo, & in exercitatione Forenſi.

Sanè hæc patientia vel aſſiduitas meruit, vt Partes ipſæmet, quæ debuerunt causâ cadere, æquitatem iudicij agnouerint, nec in ius iuerint denuò ad poteſtatis Laicæ prætoria. Ex quo & illud commodi natum eſt, quod rara Spirenſes mandata deinceps, aduerſus Iudices vel Apoſtolicos, vel Eccleſiaſticos Leodium tranſmiſerint.

Dum Ratisbonæ Cæſaris, Electorum, aliorumque Procerum Imperij erant Comitia, odoratus clam fueram, quoſdam S. C. Maieſtatis Cõſiliarios illud moliri, vt exauctorarent exercitum Cõfœderationis Catholicæ. Et tum interpretans, immeritò eos inſectari copias, quæ ante eam diem ſemper pro Deo, ac pro Cæſare hoſtem vicerant: dedi ad viros primarios, quorum ibi conſilia æſtimabantur, efficaces litteras, ſuaſique, ne tantò

præ-

præſidio Imperium, imò Religionem Catholicam nudarent, exarmarentque. Manſit proinde Principum Fœderatorum exercitus: atque eius pariter, alteriusque exercitus Cæſarei, abdicato Duce Fridlandio, Ductor Generalis conſtitutus eſt Comes Ioannes Tillius, caſtra moturus aduerſus Imperij nouum hoſtem Guſtauum Adolphum, Regem Gothorum ac Vandalorum, circa Viſurgim, & circa Oderam; perdomito iam, & Cæſari conciliato altero Rege Cimbrorum.

In familiæ meæ moribus honeſtatem atque modeſtiam ita ſtudui retinere; vt non ea opes & munera, ſed bonam famam quæreret, quoties aliquò eundum, aut alicubi manendum erat. Peculiariter dum obirem Viſitationes Apoſtolicas, intentato metu Cenſurarum inhibui publicè, ne acciperent famuli donaria. Porrò ab ijſdem accipiendis abſtinuerunt adeò, vt cùm recuſaſſent Fuldæ torques aureos, annulosque gemmatos, quippe in loco Viſitationis, eoſdem recuſauerint perinde Francofurti, quandoquidem ibi rurſus ex Abbatis & Principis Fuldenſis præſcripto eis offerebantur: neque enim interdicti religionem ſimul ipſi cum regione mutauerant. Huius moderationis verò exempla & non leges tantùm à me

 illi

illi acceperant: nam ex Germania iſtam abſtinentiæ referre gloriam duxi ego ſatiùs, quàm opibus aut donarijs ditari.

XLV.

ACademiæ, præſidia Religionis, bonarumque mentium aduerſus errores omnes armamentaria; ſeu ſtudijs nos imbuant, quibus circa mores temperati & mitigati ſumus; ſeu erudiant grauioribus diſciplinis; quibus Mundum & Mundi Conditorem contemplari, moderari Orbem terrarum legibus æquiſſimis, Deumque agnoſcere vel colere, eiusque retinere ceremonias vel ritus debeamus. Hæ inquam Academiæ, intra Legationis meę fines, nouenę numero, ſunt purę ab omni Hęreſeos inquinaméto vel macula; eędemque ab alijs Catholicę, Apoſtolicę, ac Romanę Fidei Sacramento, veluti teſſera diſcriminantur; nempe Colonienſis, Treuirenſis, Moguntina, Herbipolenſis, Muſſipontana, Paderbornenſis, Molshemenſis, Monaſterienſis, & Oſnaburgenſis.

Media & veluti mixta eſt vnica, videlicet Erfurtenſis: quę verò ſanam doctrinam non ſuſtinuerunt, ſed maluerunt ſectari Magiſtros prurientes

tes auribus, habentesque marcidam Hęreſi animam, vndenę numerantur: nimirum Lipſienſis, Heidelbergenſis, Francofurtenſis, Roſtochienſis, Vittenbergenſis, Marpurgenſis, Helmſtadienſis, Herbornenſis, Altorfenſis, Argentinenſis, & Gieſſena.

De his dumtaxat ego iam ſingillatim & breui agam: mea ſiquidem non attinet dicere de Academijs alijs Imperij, atque Germaniæ, ſeu penes Catholicos, ſeu penes Sectarios illæ ſint: quoniam intra Legationis meæ limites minimè continentur. Vti ſunt Baſileenſis ad Rhenum, Dilingana in Sueuia, Ingolſtadienſis in Bauaria, Friburgenſis in Briſgoia, Pragenſis in Bohemia, Konisbergenſis ſeu Montis Regij in Pruſſia, Tubingenſis in ditione Vittenbergenſi, Viennenſis in Auſtria, Græcenſis in Stiria, & Breſlauienſis in Sileſia.

Colonienſem erigi ac fundari An. M.CCC. LXXXVIII. Vrbanus VI. Pontifex Maximus permiſit; eandemque munitam priuilegijs, atque indultis Academiæ Pariſienſis non ita multò poſt confirmauit. Porrò in quatuor velut membra præcipua diſtribuitur, eaque ſunt Facultas Sacræ Theologiæ, Facultas Iuriſprudentiæ, Facultas Męedicinæ, ac Facultas Philoſophiæ, Artiumque li-

Digitized by Google

beralium.

Vniuerſis præeſt cum poteſtate ſumma Rector Magnificus; is autem in vices quotannis ab ipſis Decanis quatuor Facultatum eligitur. Penes quem etiam eſt poteſtas iuris dicundi in cauſis, & litibus Academicorum ex conſuetudine peranti-qua. Magiſtratus tamen Ciuitatis ſæpenumero, ſi præſertim cauſæ criminum fuerint, & in facinore ipſo deprehendantur Rei, eandem iuriſdictionem ſibi vendicat, pœnasque criminibus conſentaneas decernit.

Quotquot in Colonienſi Academia vel cathedram obtinent, vel donantur laurea, vel in quamuis ex facultatibus antedictis, vti membra earum tranſcribuntur, vel ſunt indepti gradum earum aliquem, antea ſemper Catholicæ Fidei profeſſionem emittunt. Alij nullo eiuſmodi vel honore, vel gradu, vel charactere inſigniti, ſi fuerint Sectarij, tolerantur: & quia inficere Catholicos poſſent; ideò præſtaret, infelix lolium à delicijs & vero frumento ſeparare.

Facultas Theologica, vt de ſingulis particulatim iam dicam, magnam ſenſim inclinationem ſubierat. Cùm enim eius Magiſtri, loco Mineruallium, ex Indulto Apoſtolicæ Sedis, Sacerdotia

opu-

Digitized by Google

opulenta, quas primæ gratiæ præbendas vocant, vt plurimum haberent: nec enim alia ſtipendia eis erogantur; idcirco earumdem opibus ad vitam clementem & ſuauem inſtructi, rarò aut nũquam ipſimet Sacram Doctrinam tradebant; ſed aliorum vicaria opera paſſim vtebantur. Hinc ſine pondere ac methodo inſtruebantur Academici, & anni quindeni facile circumagi ſolebant, priuſquam vniuerſam illi Theologiam audirent. Ea res verò antehac incommodauerat non parum Archidiœceſi Colonienſi, & præſertim ditionibus Iuliæ, Cliuiæ, ac Montium; quia pro obeunda in eis animarum procuratione, reparandisq́ue Religionis Catholicę ruinis, Parochi & Sacerdotes idonei hoc pacto, niſi poſt longiſſimum diem, non inſtituebantur. Tandem ęgra diu hęc Facultas Theologica non mediocriter conualuit: ex quo ad eius cathedras Religioſi Societatis admiſſi fuerunt, eaſdemq́ue ad exedras Diuinę Sapientię, vel illorum exemplo, vel ęmulatione, Ordinum aliorum Religioſi ſeſe laudabiliter inuitârunt. Theologia Moralis tamen, & ius Pontificium in hac Academię Colonienſis Facultate Theologicâ non explicantur.

Facultas Iuris prudentię dumtaxat ius Cęſareum

reum exponit, quà in exedris publicis, quà in priuatis cœtibus Academicorum. Stipendia Magiſtratus exſoluit ijs, qui publicè docent, & hi ad Fidei Romanæ profeſſionem adiguntur. Secus dubia eſt eorum fides, qui docent priuatim, & vtrorumque Auditores partim Catholici ſunt, partim Sectarij.

Facultatis Medicæ in Academia Colonienſi raræ habentur prælectiones, & ſunt peræquè rari earum Auditores. Videlicet gemini dumtaxat ſunt Magiſtri eiuſdem facultatis, quibus otium non ſupereſt ad docendum; cùm ad eos perſanandos, qui in Ciuitate oblangueſcunt, frequentiſſimè debeant commeare.

Facultas Philoſophiæ, ac Liberalium Artium ea eſt, quæ in Academia Colonienſi maximè floret; & ſunt illius tria Gymnaſia perinſignia; nempe Montanum, Laurentianum, & Trium Coronarum. In his verò ſingulis Grammatica, Syntaxis, Poëſis, Rhetorica, Logica, Ethica, Phyſica, & Metaphyſica, peculiariter autem in tertio Gymnaſio Litteræ Græcæ, ac Matheſis explicantur.

Collegium Montanum vetus præ alijs, eas quotannis opes ex prouentibus ſuis percipit, ex quibus ſi congrua ſit œconomia, Iuuenes ducentos

Digitized by Google

tos fermè ſuſtentaret. Magiſtri in hoc Gymnaſio ſunt omnes è Clero, aut ad Cleri ſtatum aſpirantes. Victum pro Mineruali habent, & inſuper pecuniæ aliquid ex his, quæ pendunt, quotquot ad Philoſophiæ lauream promouentur tempore ſuo. Expectant ij demum Sacerdotia, ex Apoſtolicæ Sedis indulto: & tum plerumque, vt dixi cathedris ſuis nuncium remittunt. Vniuerſi qui hoc Gymnaſium ſtudiorum cauſa, quotidie frequentant, erunt facilè ſeptingenti.

Collegium Laurentianum haud magnopere diſcrepat à proximè ſuperiori Collegio Montano, tum in conditione ipſa Magiſtrorum, tum in eorum Mineruali, & ſpe Sacerdotiorum. Superat tamen, partim numero adeuntium quotidie illius prælectiones, circiter ad mille ducentos, partim numero eorum, qui aluntur in eo, ex Magnatum & Ciuium honeſtiſſimorum legatis. Hi nimirum, aut ſubditis & popularibus ſuis, aut affinibus ſtationem ibi, manſionemque, captandæ eruditionis cauſa, fundârunt, facile ad trecentos iuuenes alendos. Sed & frequentant præterea hoc Laurentianum Gymnaſium ſponte, nonnulla Ordinum Religioſorum Seminaria, vti Benedictinorum, Præmonſtratenſium, & Franciſcanorum;

Digitized by Google

atque adeò Seminarium Iuuenum Batauorum; qui educantur; vt ſuppetant Parochi & Sacerdotes, Prouincijs fœderatis, ad ſemen auitæ Religionis fouendum in eis, & propagandum. Laudares ideò ab omni parte hoc Gymnaſium; niſi duo deſiderares: videlicet, vt exigeret, etiam ante Philoſophiæ lauream, Fidei Catholicæ profeſſionem; atque vt in diſcipulis, maiore aliqua exercitatione Chriſtianæ pietatis, nimiam iuuentutis licentiam, vel coërceret penitus, vel mitigaret.

Collegium trium Coronarum, ante annos ampliùs, ſeptuagenos habuit Præſidem, ac Moderatores Sectarios; ſed Senatus ijs exactis, illud Societati IESV dedit, cum appellatione trium Coronarum. Ea eſt icon teſſeraria Populi Colonienſis; ob ſacra trium Regum Lipſana, qui & olim peregrinabundi ad cunas infantis Dei, ex Oriente cum donarijs venerunt, & iàm in Æde primaria Ciuitatis veneratione ſummâ coluntur. Æmula virtus, in alijs duobus Collegijs, illicò exſtimulari cœpit, cum magno bono rei litterariæ. Nam docendi modum, quem in vſu habet Societas IESV, impoſterum ibi ſectando, effecerunt; vt Academicorum numero & laude ad-

modum

Digitized by Google

modum creuerit. Floret ceteroqui maximè hoc Gymnaſium trium Coronarum pietate, eruditione, & frequentia ſuorum Academicorum, quos ſupra mille ducentos recenſet in politioris Litteraturæ, Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ palæſtris. Eſſet imò numerus eorum adhuc multo frequentior: niſi ſubſidia idonea iuuentuti, ſeu fouendæ, ſeu promouendæ eidem Societati IESV eſſent adempta. Fundationes quippè Alumnorũ, tranſlatæ ad alia duo Gymnaſia fuerunt: & cùm Sacerdotia Magiſtris alijs Academiæ Colonienſis conceſſa, Patres Societatis IESV non admittant, nec ad eadem aſpirent; dolent ſaltem, ſpem eorũ adimi perinde Academicis ſuis; quandoquidem ab ea ſpe haud excluduntur Academici aliorum Gymnaſiorum. Certè ad hæc immigrant non rarò ij, qui honores, atque opes ſimul cum peritia venantur; eaque res in graue incommodum cedit huius Gymnaſij trium Coronarum. Frequentãt in eo peculiariter ordinarias prælectiones, quotquot à Sereniſſimo Archiepiſcopo & Electore, in Cleri Seminario aluntur, vt ſint Curiones ſacri, & Paſtores animarum in Colonienſi Archidiœceſi; atque adeò Adoleſcentes ex altero Seminario Sodalitij S. Crucis; qui ex Prouincijs, Hæreſi

affectis oræ Septentrionariæ, ad Fidem Orthodoxam adducuntur.

Terni ſunt abuſus præcipui, in hac Artium Facultate; quos emendare, ſed irrito conatu, etiam Anteceſſores mei Apoſtolici Legati, nedum alij Præſules & Magnates, ſtuduerunt. Nempe ex ijs, qui peritiæ ſuæ periculum ritè ſubeunt, nemo reijcitur à gradu, vel laureâ Magiſterij: ex quo fit, vt non pauci minùs digni quotannis promoueantur. Dein promotio ipſa eſt nimiò ſumptuoſior: quia ſuſcepturi gradus Academicos vſque ad Magiſterium, pendunt ſinguli vicenos minimùm daleros Imperiales: nec multi ſimul, more aliarum Academiarum, ſed terni dumtaxat, aut quaterni promouentur; & hi ſemper epulo excipiunt ac tractant ferè Conuiuas centum. Hinc totâ Quadrageſimâ ſunt quotidie Academicorum Sympoſia, in quibus dum Conuiuæ cum exceſſu ſe frequentiùs inuitant, ſimul Parentum ſæpè inopum crumenas & æraria domeſtica, cum detrimento Reipublicæ non mediocri, exhauriunt. Præterea retinetur conſtantiſſimè ritus antiquus, nouos Academicos initiandi: in quo ritu exceſſus varios licentiæ, ac petulantes ineptias exercent iuuenes temulenti, nec decenter aut modeſtè ludibundi; cum

inſig-

Digitized by Google

inſigni nota, vel probro totius Academiæ Coloniensis.

Eſt ea ceteroqui celeberrima, quam vtique illuſtrârunt tria maxima ingeniorum lumina, & primæ ſapientiæ oracula, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, & Ioannes Duns, cognomento & patriâ Scotus. Ille olim Coloniæ cathedram habuit, Cœnobiumque ac Templum Ordini ſuo fundauit. Fuit verò ibidem Præſes, dum Thomas Aquinas, ex Sacræ Theologiæ exedrâ, grande illud ſpecimen ingenij Cæleſtis daret; ex cuius admiratione Albertus ipſe, vaticinatus eſt fore, vt qui bos mutus antea (quippe ſilentio tegens, ac ſeruans theſauros animæ) vocabatur; ederet mugitus, olim audiendos in vniuerſo Orbe Terrarum. Thomas idem Aquinas hoc ipſum æternum ſui monumentum ibidem, & exedram eandem, quæ viſitur hodieque in Clauſtro, & intra ſepta Cœnobij, memoriæ poſterorum conſecrauit. Ioannes Duns demùm, & ſuæ ſapientiæ famam, & ſui corporis exuuias, in Odæo Templi Ordinis proprij, Coloniæ reliquit.

Treuirenſis Academia, omnium vetuſtiſſima, primas in hoc cenſu mereri poterat; niſi, vti ferunt temporum ac rerum humanarum viciſſitudi-

nes, imminuta & propemodum collapſa, cœpiſſet non ita pridem à proprijs Archiepiſcopis reſtaurari; & ad normam exigi Academiæ Colonienſis. Patres Societatis IESV Humaniores litteras, Philoſophiam, & Sacram Theologiam in ea explicant: & quotquot aut Academiæ inſcribuntur, aut conſequuntur honores eius, profitentur publicè Catholicam Fidem. Prælectiones, tum Iuris Prudentiæ, tum Artis Medicæ Lotharius Archiepiſcopus, ante annos non ita multos, reſtituit: omnium verò gubernaculo præficitur quotannis primarius aliquis Antiſtes, aut Præſul ex ijs, qui degunt in ipſa Ciuitate Treuirenſi.

Moguntina Academia primùm inſtituta eſt à Diethero Iſenburgico Archiepiſcopo, & Electore; vertente propemodum quintodecimo ſæculo, eandemque Sixtus IV. Pontifex Maximus, auctam priuilegijs Apoſtolicis, confirmauit. Alioqui anteà Moguntiæ fuerant Viri doctiſſimi, æuo æquales ipſimet S. Hieronymo: nec ijdem ibi deſiderabantur poſtea, Regnante Pipino Principe, & Carolo Magno Imperante. Qui ſtudiis bonarum artium pariter, & ſublimium diſciplinarum ibi redintegratis, ingenia ſæculi ſui egre-

gié

Digitized by Google

giè fouerunt: non ideò tamen tunc, aut deinceps Moguntiæ Academia erat propriè; ante Dietheri Iſenburgici Principatum. Ceterùm, vt initia ſunt plerumque plena vigoris & alacritatis, confirmata vix ea fuerat; cùm propugnare cœpit coram ipſo Archiepiſcopo fundatore ſuo pronunciata quædam Ioannis Burchardi Weſalienſis, aliena prorſus ab Orthodoxæ Fidei veritate; & illuſtre trophæum de illo ſtatim veræ Religioni conſecrauit. Senſit ea nihilominus, aut languorem pacis, quæ ex noſtro vt plurimum vitio abit in otium ignobile, quoniam huic pax finitima videtur; aut bellorum incommoda, in quibus bellis, & ſi digna litteris geruntur, extinguuntur tamen & litterę ipſę, & earum amor atque exercitatio: aut denique cariem temporis, cum quo artes animi aliquando, ſi minus ipſe animus, conſeneſcunt. Idcircò cùm hebeſceret paulatim virtus & fama eius: euoluto propemodum ſæculo, à primis illius exordijs, Daniel Brendelius Archiepiſcopus & Princeps Elector, è Societate IESV Magiſtros accerſiuit, eoſque in Academiam tranſcribi iuſſit. Dein eiſdem Ioannes Swicardus Chronebergius, pariter Archiepiſcopus & Princeps Elector, Collegiũ Moguntiæ fũdauit.

dauit. Ex eo tempore autem floret imprimis Sacra ibi Theologia; ſed contrà deficit ſenſim Iuris prudentia: quotquot verò ad lauream aſpirant, Symbolo Fidei Catholicæ ſemper, militaturi deinceps certò in caſtris Eccleſiæ, prius initiantur.

Herbipolenſis Academia quatuor omnes Facultates, & Præceptores in ſingulis earum ternos aut quaternos habet, cum Alumnorum Seminario, qui ſunt partim Nobilium, partim tenuiorum Natalium. Fundator eius fuerat Ioannes ab Egloffſtein Epiſcopus ac Dux Franconiæ, fundationique ſubſcripſerunt Bonifacius IX. ac Rupertus Rex, atque adeò ille Viros cumprimis eruditos aliunde, vt docerent in ea, deuocârat. Poſtmodum graui obortâ inter Clerum & Ciues ſimultate, ab eiuſdem Epiſcopi obitu, Academia Erfurtum Vrbem Thuringiæ tranſlata eſt: Moderatoribus Studiorum eam tranquillam Sedem poſtputantibus Ciuitati perturbatæ, ac fermè diſſidijs fatiſcenti. Eandem proximè ſuperiori ſęculo reſtituit Fridericus Epiſcopus & Princeps: qui etiam Herbipoli Domicilium & Gymnaſium Societati Iesv aperuit. Dein Iulius Echter à Meſpelbron Epiſcopus, & Dux glorioſi nominis in omnes annos conſequentes, noua Academię ſuę priuilegia, à duobus

ſupre-

ſupremis Reipublicæ Chriſtianæ Principibus Gregorio XIII. Pontifice, ac Maximiliano II. Cæſare perrogauit. Ipſe verò haud eſſe inferius ſua dignitate arbitratus eſt, quod ſuffragatione communi, à quatuor Facultatum Decanis primus Academiæ reſtitutæ Præſes, ſeu Rector Magnificus diceretur. Imò eam inter Litteratos perſonam, ſolidum annum, vti mos eſt, retinuit: atque ab hoc in bonas artes amore, dignus profectò earum immortali commendatione, auſpicatus eſt ſuum nobiliſſimum, quem rexit gloriosè in annos plurimos, principatum.

Muſſiponti Academia, in Lotharingiæ ditione, ante annos ampliùs ſeptuaginta Fundatorem ac Parentem habuit Carolum à Lotharingia S. R. Eccleſiæ Cardinalem, Tullenſis Eccleſiæ Antiſtitem, atque Reginæ Galliarum germanum Fratrem. Hic porrò eandem Academiam Societati IESV vniuerſam volens ac libens permiſit: & peculiariter conſtituit, vt Moderator ipſius Societatis, ſimul ſit Academiæ totius Rector, ac vt in Præceptores quoque Iuriſprudentiæ poteſtatem exerceat. Atque adeò ſanxit, vt qui Præfectus eſt ſtudijs, in Collegio antedictæ Societatis, idem ſit ſemper totius Academiæ Cancellarius. Iuuentus

tus frequens, eiusque diſciplina in litteris peræquè, atque in moribus, præclarum ac celebre admodum reddiderunt hoc litterarum emporium; finitimis Belgij, Galliæ, atque Germaniæ Prouincijs opportunum, ad quod propterea indidem commeant multi, eiusque decus augent magnopere, iſtiuſmodi pulchrâ ingeniorum pariter ac nationum varietate.

Paderbornenſis Academia in Weſtphalia à Theodoro Furſtenbergio Epiſcopo & Principe fundata eſt; munita verò priuilegijs à Paulo V. Pōtifice, ac Mathia Imperatore, Anno huius ſæculi M. D C. X V I. extructis pro ea ſumptu magno ædificijs. Hæc pariter vniuerſa Societati IESV tradita eſt, cuius Religioſi Paderbornæ annis anteactis, in ſumma temporum ac rerum difficultate, litteras humaniores docuerant; primò quidem habitu diſſimulato, tamquam Laici Præceptores, dum erant adhuc odioſa nomina Sacerdotium & Religio; dein omiſſa, nec ampliùs neceſſaria veſtium eâ diſſimulatione, ſed in loco tamen perincommodo, nempe in ipſo ſummi Templi periſtilio. Donec Theodorus Antiſtes & Princeps ſingulari liberalitate Gymnaſium eis exædificauit. Cùm autem præter minores diſciplinas, Philoſo-

phia

Digitized by Google

phia & Sacra Theologia ibidem à Præceptoribus Societatis IESV explanentur; Rector eiuſdem eſt Academiæ ſemper ſupremus Præſes, Præfectus verò Studiorum eſt illius Cancellarius. Iuuentus in hoc Paderbornenſi Gymnaſio eſſet frequentior; ſi bello extincto, viduæ ab incolis finitimæ Vrbes, ac Regiones poſſent liberiùs ſtudia, quæ ſunt pacis ornamenta, conſectari.

Molshemenſis Academia originem ſuam acceptam refert Ioanni à Manderſcheidt Epiſcopo, ac Principi Argentinenſi. Nam is à Ciuibus rebellibus & Sectarijs Vrbe ſuâ pulſus, ac Tabernis Ciuitate ſatis munitâ degens, cùm propriam Diœceſim repurgare ab Hæreſi deliberaſſet, adiutores huius præclari conſilij adſciuit Religioſos Societatis IESV: & eorum aliquos iuſſit in vera Religione, ac bonis moribus iuuentutem inſtituere Molshemij, Oppido ceteroqui exiguo, ſed propinquo ſaltem Ciuitati Argentinenſi; quam lues Lutherana vniuerſam infecerat, & ritibus ſuis prophanauerat. Auſpicatus deinde ſtructuram Gymnaſij idem Princeps, alterum eius latus excitauit, in quo Religioſi ſeorſim, & Alumni deinceps inhabitarent. Sed è viuis interea excedens, ſucceſſorem habuit

 Caro-

Carolum à Lotharingia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem; qui noui ædificij acceſſione alterum latus adijciens, ſupremum etiam impoſuiſſet lapidem; niſi belli atque armorum neceſſitas coëgiſſet; vt in ſtipendia militum erogaret; quidquid faſtigio ædium extruendo iam animus eius deſtinauerat. Diſſidia enim Canonicorum, & factio eorum aduerſa, Epiſcopum & Principem alium ſuffragijs ſuis elegerat vnum, ex liberis Septemuiri Brandeburgici: & hi ambo ideò galeam, quàm cidarim, lanceam, quàm lituum tractare debuerunt. Conſummauit itaque opus, ijs difficultatibus cœptum, Leopoldus Archidux Auſtriæ, & in Epiſcopatu Succeſſor; tametſi bella etiam tum ingruerent, & tubæ vndique conſonarent. Quocirca ſummâ cum admurmuratione Catholicorum, ringente verò Argentinæ Lutheranorum Synagogâ, impetrauit, & promulgauit Pauli V. Pontificis, ac Mathiæ Cæſaris priuilegia An. M.DC.XVIII. ac Molshemienſem Academiam inchoauit. Pro Alumnis quoque, ſeu Nobilibus, ſeu humilioris notæ annua ſtipendia fundauit, munificentiâ ſanè admirabili, atque ad honores Academiæ vidit promoueri ſtatim Viros præſtantis ingenij, qui eò ex

va-

Digitized by Google

varijs Alſatiæ Vrbibus commigrauerant ; vt auſpicijs tam egregij Principis, vtpotè Mecœnatis Litteratorum, operarentur Sacris Sapientiæ Æternæ; laureâque inornati, Antiſtites eius inaugurarentur.

Monaſterienſis Academia, cœpta eſt erigi poſtremis annis meæ Legationis; ſupplicauitque pro ea erigenda Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. Sereniſſimus Ferdinandus Bauarus, Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, qui eſt ſimul Epiſcopus & Princeps Monaſterij. Hæc Ciuitas eſt totius Weſtphaliæ Metropolis; & nobili Clero, honeſtis Ciuibus, ac ingenuâ iuuentute abundat: adeò vt, vel in his difficillimis temporibus, Gymnaſium Societatis Iesv, ſolius litteraturæ politioris causâ frequentarent diſcipuli mille quadringenti. Diœceſis vniuerſa lue ſuperſtitionum omnium, nempe Anabaptiſmi, Lutheraniſmi, & Caluiniſmi dudum affecta, non videbatur poſſe commodiùs ad veræ Fidei ſemitam reduci; quàm ſi Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ prelectiones, in Ciuitate totius Ditionis dominâ, deinceps haberentur. Sic enim finitimas Sectarum Academias oppugnare certiùs licuiſſet; & formari ſimul idonei Paſtores animarum potuiſſent, qui pluri-

mis in pagis Diœceſeos deſiderabantur. Aliò enim migrare, ad hauriendas maiores diſciplinas ij, quibus res domi anguſta eſſet, nequibant: nec admodum proderat, ad eas comparandas ire interdum Adoleſcentes alios aut nobiles, aut opulentos; nam hi cùm ad lares proprios reuertebantur, aucupabantur honorabiliora Sacerdotia, & copioſos eorum prouentus in Collegijs Canonicorum quærebant: dedignabantur verò Parochi munia, & opus, quod opes exiguæ vt plurimùm comitantur. Voluiſſet quidem Summus Pontifex; vt Iuriſprudentia etiam, præter Philoſophiam & Sacram Theologiam in hac Monaſterienſi Academiâ iuuentuti traderetur; ſed dum interim ad id expectantur feliciora tempora, ſolùm licuit, neceſſitati Religionis conſulere. Demùm penes Religioſos Societatis IESV ſunt cathedræ pariter, ac regimen iſtius Academiæ.

Oſnaburgenſis Academia, olim ab ipſo Carolo Magno, vti perhibent, inſtituta, & demùm extincta Hæreſum veneno; rurſus excitata eſt ante ſeſquiannum à Franciſco Gulielmo Epiſcopo, & Principe Oſnaburgi. Qui vt ſanioris doctrinæ luce, & Catholicæ veritatis calore foueret meliùs

ſemi-

Digitized by Google

ſemina Orthodoxæ Fidei, cui excolendæ in hac ſua Diœceſi impenſiſſimè ſtuduit, impetrauit & ipſe à Sanctiſſimo Domino Noſtro Academię inſtaurationem. Summâ verò celebritate, noua illius exordia decorauit, exciuitque è Sedibus ſuis partim famâ egregij conatus, quantumuis belli atque armorum ſono vbique omnia perſtreperēt, partim officioſâ liberalique inuitatione primos finitimarum Vrbium Antiſtites, ac Præſules; qui cum infulis & inſignibus ſuis, ibi primordijs illius interuenerunt. Ad Humaniores litteras, Philoſophiæ & Sacrę Theologię dumtaxat pronunciata & oracula acceſſerunt; quod erat maximè neceſſarium in pręſentia, aduerſus Magiſtros Heterodoxos, qui Synagogas frequentes habent in Vrbibus propinquis extremę Saxonię. Sed cùm perinde ſoli Religioſi Societatis IESV, huius Academię Oſnaburgenſis exedras, & gubernaculum regerent; atque adeò meſſis magna intaminatæ ſapientię, ad grande Religionis incrementum iam feliciter matureſcere videretur: violenter inuaſit Oſnaburgenſem Vrbem Miles Dynaſtæ Luneburgenſis; & momento emarcuit omnis ille vigor ſapientiæ, in quo ſpem frugis vberrimæ, optimus Princeps & vigilātiſſimus Antiſtes

tiſtes collocauerat.

Erfurtenſis Academia fundatorem dicitur habuiſſe Regem Francorum Dagobertum, exeunte fermè ſæculo quartodecimo. Priuilegia verò accepiſſe primùm à Bonifacio IX. ac dein à Pio II. Summis & Romanis Pontificibus. Sed & in eam ſtatim ferunt, immigraſſe ſtudiorum causâ plurimos, ineunte proximo ſæculo quintodecimo; qui ex Pragenſi Academia exceſſerunt ſponte, poſtquam in ea graſſari Huſſitarum lues occœpit. Cæterùm quemadmodum Erfurti Ciuitas, ita eius Academia (quod indicaui ſuperiùs) mixta eſt: nam in ea Religioſi Societatis IESV tantummodo humaniora ſtudia, & Logicam antehac docuerunt; ſublimiores autem diſciplinas explanârunt Laici Præceptores plerumque Sectarij. Ciuitas quidem Archiepiſcopo & Electori Moguntino ex iure ſubeſt, qui Epiſcopum Suffraganeum in ea, & Præfectum Vrbis pro poteſtate conſtituit; ſed dum reipſa in Prætorio Spirenſi diſceptatur, hinc pro iuriſdictione, illinc pro libertate, inita interim eſt concordiæ ratio, ex qua nihilo plus commodi cepit aut Academia ipſa, aut Catholica Religio.

Lipſienſis Academia, orta primùm eſt initio quinto-

Digitized by Google

quinto-decimi ſæculi; quando Ioannis Huſs, & Wicleffij errores vniuerſam Bohemiam, & imprimis Academiam Pragenſem ab orthodoxa Fide ſeiunxerunt. Peculiariter ea origo ſeceſſionis fuit, quod cùm in Pragenſi Gymnaſio quatuor cenſerentur nationes, Bohemica, Polonica, Saxonica, & Bauarica; ab Rege ſuo Bohemi odioſam prærogatiuam impetrauerint; ex qua nimirum ſoli ternis alijs anteirent adeò, vt tantumdem ex Academiæ commodis & priuilegijs ſoli ad ſe deriuarent impoſterum: quantum Poloni, Saxones, Bauari, ſimul erant habituri. Quocirca hi conſilio inito, Lipſiam contulerunt ſe, ibique nouam fundârunt Academiam, quam pariter nationes quatuor frequentarent, nempe Miſnienſis, Saxonica, Polonica, & Bauarica. Cùm diu tamen floruerit, Hæreſis eam poſtremò infecit.

Heidelbergenſis Academia, à Ruperto II. Comite Palatino fundata, & confirmata ab Vrbano VI. Pontifice, omnium Artium, Philoſophiæ, Medicinæ, Iuriſprudentiæ, ac Sacræ Theologiæ ſtudijs clara, diu famam habuerat. Cum Caluiniana impietate tandem deprauari etiam ipſa cœpit; & tum in Germaniâ diſſidijs Religionum ac

 præ-

prælioꝛum vehementer concuſsâ, vti ad prædam patuerunt ſepta Religioſorum, quæ ſpretâ ſanctitate haud ſatis iam poterant cuſtodiri; ita in eorumdem Cœnobijs, inſignes quæuis Bibliothecæ expilatæ fuerunt: ijsque ſpolijs mirum in modum creuit Bibliotheca Heidelbergenſis. Amplis etiam reditibus Collegium ibi fundatum eſt inſtituendæ iuuentuti, cui à ſapientia (ſcilicet Caluinianâ) vocabulum inditum eſt; & Seminarium hoc fuit, ex quo tranſlata germina Hæreſeos Caluinianæ, in regiones finitimas pariter, ac longinquas, latè impietatem eandem proſeminârunt. Tandem Federico Comite Palatino exauctorato, & proprijs ditionibus exuto, Bibliotheca ea tam celebris, vti Victoriæ monumentum, à Maximiliano Bauaro, Catholicæ Confœderationis Supremo Duce, ac Victore miſſa eſt ad Romanum Pontificem; & inſuper reſtitutæ Catholicis Præceptoribus cathedræ iam fuerant. Felicitas ea tamen non diuturna fuit; quia rurſus ad Sectarios Dominos Ciuitas, & Principatus, bello recrudeſcente, remeârunt.

Francofurtenſis Academia, ſita in ditione Brandeburgicâ ad Oderam fluuium, & fundata à duobus Brandeburgi Marchionibus Ioachimo, &

Digitized by Google

Alberto, ad initia ſæculi ſexto-decimi, priuilegia dicitur habuiſſe ab Alexandro VI. & Iulio II. Romanis Pontificibus, atque à Maximiliano I. Cæſare.

Roſtochienſis Academia, in Megalopolis ditione, fundata eſt à Dynaſtis eius regionis Ioanne, atque Alberto, ineunte ſæculo quinto-decimo: quò nimirum tempore, Legatio inde miſſa eſt in Vrbem Romam, ad petenda priuilegia Sanctæ Sedis; cuius eſt Chriſtianæ Sapientiæ Gymnaſia confirmare.

Wittenbergenſis Academia, quæ ad Albim flumen eſt, in Metropoli Superioris Saxoniæ, Fũdatorem habuit Fridericum I. Ducem, & S.R.Imperij Septemuirum, in ipſo exordio ſæculi decimi-ſexti. In eam non ita multò poſt Martinus Lutherus, & Philippus Melanchton virus omne ſuũ vomuerunt. Fuit verò cathedra præcipua peſtilentiæ ipſorum; regionemque omnem, afflatu virulento, grauiter admodum inquinauit.

Marpurgenſis Academia primùm erecta, cùm Lutheri delira & impia dogmata cœpta ſunt proſeminari, hoc eſt ad annum M.D.XXVI. nouennio poſt inſtaurata eſt à Philippo Haſſiæ Lantgrauio.

Helmſtadienſis Academia, in ditione Brunſwi-

cenſi, ab Helmanis Vallibus, in quibus iacet, eam appellationem accepit; cum Iulia inſuper nuncupari ſoleat, à Iulio Duce ac fundatore. Is & Academiam erexit; & in eam tranſcripſit Gymnaſium aliud minus frequens, quod antea Ganâ fluuio alluebatur.

Herbornenſis Academia, in Naſſouiorum ditione, multum intulit damni Catholicæ Religioni; cùm in ea plurimi Nobiles Adoleſcentes, Caluini corruptelas didicerint; alijque tenuioris notæ ex eadem prodierint Miniſtri, & Prædicantes, quos appellant; atque in Weſtphaliam & Friſiam errores ſuos deinde importarent. Fundator illius fuit Ioannes Naſſouius Senior: ſed alter Ioannes Naſſouius Iunior, qui iam eſt Magiſter Equitum in exercitu Regis Catholici, profeſſus Orthodoxam Fidem, non ita pridem Sigenæ Gymnaſium Societatis IESV aperuit; ex quo Hæreſis non parum in ditione Naſſouiorum debilitatur.

Altorfenſis Academia, à Magiſtratu Reipublicæ Norimbergenſis erecta eſt, intra Diœceſim Epiſcopi Bambergenſis, circa annum M. D.LXXI.

Argentinenſis Academia, circa eadem tempora perinde cœpit frequentari: etſi antea ibidem ludum litterarium S. P. Q. Argentinenſis, iuuen-

tuti

tuti ſuæ aperuerat. Hæ ſaltem duæ poſtremæ accepiſſe priuilegia à Maximiliano II. Cæſare dicuntur.

Gieſſena Academia demùm inchoata eſt Anno M. DC. VII. Imperante Rodulpho II. Cæſare.

Atque hic eſt cenſus Academiarum, quibus intra fines Legationis meæ, partim Religionis Catholicæ veritas propagatur, partim Sectariorum Synagogæ, in errore pertinaci, confirmantur. Plurimæ ſunt deinde Ciuitates, in quibus Collegia, & minores cathedras habet Societas IESV; vt in vera pietate, boniſque artibus iuuentutem erudiat, ac ſenſim ad Fidei Orthodoxæ profeſſionem Germaniæ atque Imperij Prouincias reducat.

XLVI.

DEſcribam iam, velut alterius appendicis loco, Ciuitates aliquas; quas adiui, obeundo negotia meæ Apoſtolicæ Legationis, & in quibus aliquantulum moratus ſum; nec enim ita noſſe aliàs licuit; quas debui ego ita in itinere pertranſire, vt penè tantùm eas à limine ſalutauerim. Coloniæ ac Leodij deſcriptio erit paulò prolixior; quia in eâ geminâ Vrbe ordinariam ſedem ac mā-

ſionem habui.

Colonia eſt Auguſta Vbiorum, qui olim Populi finitimi Sicambris, habitanteſque in eâ Germaniæ Regione, quæ explicat ſe, inter amnes duos Rhenum & Mœnum, amicitiam Populi Romani expetiuerunt, aduerſus Cattos, populos item propinquos, & infenſos. Ideò Cæſar Socialia cis arma, & ſigna conferens, in Rheno pontem ſtrauit, mouitque in trans-Rhenanos, quos Marte felici ſuperauit; & in Gallias cum ingenti prædâ per Vbiorum fines remeauit. Sed Cæſare dein, non modò in Prouinciam ſuam eunte, verum excedente demùm è viuis, cùm Vbij noua ab hoſtibus paterentur damna, quibus nec propulſandis, nec ferendis erant; impetrârunt ab Auguſto Cæſare, vt ex Ciuitate amplâ, & quamdiu vis externa abſuerat, florente migrarent, in Rheni ripam citeriorem, quæ tunc erat limes Galliæ, obſequentis Imperio Romano. Itaque in eam ripam non inuiti, vt loquitur Strabo, traducti ſunt Vbij, ab ipſomet M. Agrippâ Galliarum Præfecto; ab eoque, veluti nouę Vrbis eorum Conditore, Agrippinenſes appellati fuerunt. Ciuitas ipſa ita extructa eſt, vt referret Romę quadratę veterem formam; quò nimirum ita ea Ciuitas, quę Colonia

Cæſ. l. 4.

Strab. l. 4.

Tacit. de Mor. Germ.

lonia Romana mox eſſe meruit, tamquam Filia pulchra, Matrem ſuam pulchriorem imitaretur. Ceterum ex veterano Milite coloniam eò deduci primùm curauit Agrippina, Germanici Filia, Neronis Genitrix, & Claudij Coniux: quia nimirum ibi nata fuerat; ab eaque Colonię Agrippinę vocabulum accepit. Quoniam verò in colonijs Romanorum ea forma Reipublicę, atque is olim erat Magiſtratus; vt Duum-viri, Trium-viri, ſeu Quatuor-viri, ad hęc Ædiles, Quęſtores, Cenſores, Decuriones populum regerent. Ideò iam non incongruè ſex Viri Conſulares, nimirum duo Conſules, duo Proconſules, duo Quęſtores Colonię Agrippinę populum regunt, loco Dum-virum, Ædilium, & Quęſtorum. Cenſoris vices obeunt duo, quorum id eſt muneris, vt mores Reipublicę ordinent, ac modum pręſcribant Magiſtris violentiarum: nam hi ad illos de omnibus referunt; curantque, vt populus leges, decreta, & Senatûs conſulta exequatur. Pœnas pręterea exigunt à Reis, eoſque per Satellites proprios carceri mancipant, ac turbas & motus omnes in plebe compeſcunt. Inſtar Decurionum verò, qui in vetuſtis colonijs erant Senatores earum, ſunt iam Colonię Agrippinę Senatores vndequin-

Germanicè Stigmeiſter. *Germanicè* Gewalt Richter.

qua-

quaginta: Conſules autem, & hi, ſunt ſupremus Magiſtratus huius Ciuitatis; qui ita inſtitui, ac ſuppleri ſolet. Sex Viri Conſulares, cùm ſint perpetui, ordine in orbem eunte ita Conſulatum gerunt: vt dumtaxat ex eis bini vno anno ſint Conſules, ac Senatui præſint. Duo qui proximè abierunt Conſulatu, cenſentur, vt dixi, Proconſules, & præficiuntur Cameræ redituum, quam appellant Veneream; fortaſſe quia curant ea, quæ ad matrimonia, dotes, & pacta coniugum ſpectant. Alij duo, qui ante hos Conſulatum geſſerant, & qui mox eundem gerent, ſunt Quæſtores, ac præſunt Cameræ redituum, quæ appellatur Mercurialis, & quæ fortaſſe mercimonijs, ac eorum vectigalibus præſidet. Hi autem Viri Conſulares creantur ſuffragio Senatûs: ita vt quoties deſideratur eorum aliquis, ſufficiatur nouus, & obeat cum Collega, Conſulis, Proconſulis, aut Quæſtoris vices. Porrò tametſi dum viuunt, ſibimet ordine perpetuo ſuccedant: eſt nihilominus penes Senatum ius & poteſtas, quotannis eos legendi, confirmandique; quos item, ſi obuenirent cauſę conſentaneæ, poſſet idem Senatus abdicare. Suum bini quique ineunt Conſulatum Menſe Iunio, IX. Cal. Quintiles; hoc eſt in profeſto S. Ioannis; &

tunc

tunc Senatorum dimidia pars defungitur, aliaque pars dimidia defungitur pariter ix. Cal. Ianuarias, nempe in profeſto Diuinorum Natalium. Bis e-nim quouis anno Senatus mutatur: & Comitijs quidem æſtiuis plebs, diſtributa in duas ac vicenas tribus, Senatores duodeviginti, antiquus verò Senatus ſenos creat: in Comitijs autem Hibernis totidem plebs, Senatus ſeptenos renunciat; quia tunc Senatores numero impares abeunt ex Curia, & ad eam viciſſim leguntur. Itaque ſex ac tricenos plebs, Curia tres ac denos propriâ ſuffragatione dicit quotannis; quod ſi duo Conſules, Curiæ totius Præſides, ijs accenſeantur, erunt vniuerſi vnus & quinquaginta. Hic Magiſtratus poteſtatem habet, quoſuis Reos apprehendendi in Ciuitate, etiamſi è Clero fuerint. Pro Eccleſiaſticis tamen capiendis, veniam rogat Antiſtites, ac Præſules Eccleſiæ; reosque ipſorum carceri tradit. Vt omittam penuarij ſecretioris Promoſcondos, qui Senatoribus, per teſſeras in eum finem cuſas, vinum diſtribuunt; hoc enim loco ſtipendij eis penditur: atque adeò Curatores monetæ, macelli, fori piſcarij, ceruiſiæ, rei lignariæ, ceteræque annonæ vel vbertatis; & vt veniã ad cauſarum iudices, ſeu vindices criminum. Hi

Digitized by Google

ſunt imprimis duo Commiſſarij, quos appellant, ad quos licet prouocare, à minorum iudicum reſcriptis atque ſententijs. Sunt inſuper carceris Magiſtri, ſeu Præfecti, qui inſtituta in ſontes quæſtione, de illorum criminibus ad Senatum referunt: ſi autem capite illa luere debeant, per Magiſtros Violentiarum Alto Iudicio, quod appellant, ſolemni quadam formulâ ſubijciuntur. Libet magis à curâ huius in reos, ſeu iuriſdictionis, ſeu animaduerſionis ritum ac modum proſequi. Magiſtri violentiarum duo (quorum alter in Comitijs æſtiuis, alter in Comitijs hibernis eligitur; & qui ambo in vices ſuam præfecturam obeunt, ceteroqui odioſam; ad quam propterea, niſi ſemel, aut iterum, nullus Ciuium adigi poteſt) reos quoſcumque, ſeu laicos, ſeu ſacros, tum auctoritate propriâ, tum ex præſcripto Senatûs, vel Cenſorum arripere poſſunt; nec in cuſtodiam modò detrudere, ſed etiam laicos punire, ſi leuia admiſerint crimina. Quod ſi culpæ fuerint graues, cognitio earum ad carceris Præſides, vel ad Senatum pertinet. Vt pœnæ poſtmodum, quas ij ſtatuerint, à Reis exigantur, ſiſtere ipſos Magiſtri violentiarum ſolent Alto Iudicio. Hoc verò eſt Tribunal Laicæ poteſtatis,

cui

Digitized by Google

cui Vicecomes & Scabini præſunt: ijque ab Archiepiſcopo atque Electore, ex numero Ciuium tamen eliguntur, vt per eos ius gladij exerceat. Qui Senatui & populo fauent, aiunt eidem Archiepiſcopo, & Electori hoc ius gladij cõuenire dumtaxat ex Cæſaris priuilegio: nam aſſerunt, penes Imperatorem fuiſſe olim eam poteſtatem, quam videlicet per Burgrauios (ſic Prætores vocant) diu Imperator adminiſtrârit; donec extincta familia, cuius poſteris Præturam eiuſmodi dederat, eandem Archiepiſcopis atque Electoribus demùm tribuit. Sedenim alij, qui Electoribus, quàm Senatui, æquius multo adiudicant Coloniæ principatum, affirmant, illud ius ipſis congruere, tamquam antiquis Dominis. Memorant quippe, ex vetuſtis codicibus, atque ex Hiſtoriæ monumentis Othonem Cæſarem, Francis ereptam hanc Vrbem, dediſſe Brunoni Archiepiſcopo, ac Fratri Germano; nec alijs legibus, quàm quibus ad annos amplius quingentos fuerat ſub Imperio Francorum. Cùm verò præterea S. Hanno item Archiepiſcopus Ciuitatem hanc nouis munierit mœnibus, quod eſt propriũ Principis ac temporarij Domini, cùmque Succeſſores Archiepiſcopi Tribunal antedictum alti Iudicij ſemper retinuerint;

rint; hæc oſtendunt manifeſtè; ipſos eſſe veros Vrbis ac Senatûs Dominos. Vt ad inſtitutam deſcriptionem redeam, ſunt inſuper Quatuor-viri Magiſtri querelarum; qui adnituntur obortas Ciuium lites ſummatim reſtinguere, ac ſedare; dum gliſcere primùm incipiunt. Sunt Tribuum Præfecti, ſeu earum Vexilliferi; qui vocare tribus ad comitia ſolent, ac diſponere pro poteſtate negotia earum. Sunt denique Præfecti rei militaris; & Ciuitas vniuerſa in octo legiones, ſicut legio quæuis in octo cohortes, diſtribuitur: nec ijs deſunt proprij, vel Tribuni, vel Centuriones. Eccleſiaſtica gubernatio ab Archiepiſcopo, per idoneos Vicarios, adminiſtratur. Ij ſunt Vicarius in Pontificalibus; qui eſt ſemper Epiſcopus Suffraganeus, & Clericos Diœceſis initiat Ordinibus ſacris, confert Sacramentum Confirmationis, & ſacra ſeu vaſa, ſeu vtenſilia ritè inaugurat. Vicarius in Spiritualibus, qui Cœnobia & parœcias viſitare, diſpenſare, & ea definire ſolet, quæ ad fori ſtrepitum non pertinent. Officialis qui eſt iudex ordinarius in cauſis forenſibus Cleri, habetque, tamquam Aſſeſſores, Sigilliferos maiorem ac minorem, ac Iudicem Fiſcalem. Demùm Archidiaconi quatuor præcipui; nempe Præpoſitus Eccleſiæ

Germanicè Bannerhern.

Digitized by Google

ſiæ Metropolitanæ Colonienſis, Præpoſitus Eccleſiæ Bonnenſis, Præpoſitus Eccleſiæ Xantenſis, ac Præpoſitus Eccleſiæ Suſatenſis. Idem Archiepiſcopus vt-plurimum reſidet Bonnæ, Oppido Vrbi propinquo, & rarò intereſt Eccleſiæ functionibus. In Ciuitate ipſa hæc ſunt præcipua Collegia Canonicorum. Collegium Metropolitanum, in eoque numerantur illuſtres Canonici ſex ac triginta, Canonici presbyteri octo; qui non ex proſapiæ gloriâ, ſed ex Ordinis Sacri, & eruditionis commendatione alijs aggregantur: ſinguli verò annuè percipiunt Philippicos mille. Ius ſuffragij tamen, ſeu comitia ſint habenda, ſeu decernendum ſit aliquid, ſoli habent, ex illuſtribus Canonicis, ſex ac deni, atque octo Canonici presbyteri: ita vt ſint numero bis duodeni. Collegium S. Gereonis, & in eo Canonici triginta illuſtres, decem obſcuriorum natalium, cum cenſu annuo in ſingulos ſeptingentorum Philippicorum. Collegium S. Seuerini, & in eo Canonici ſex ac viceni, cum cenſu annuo ducentorum & quinquaginta Philippicorum. Collegium S. Cuniberti, & in eo Canonici tres ac viceni, cum annuo cenſu ducentorum Philippicorum. Collegium S. Andreæ, & in eo Canonici duo ac viginti, cum

Digitized by Google

cenſu Philippicorum ducentorum & quinquaginta. Collegium SS. Apoſtolorum, & in eo Canonici triginta, cum cenſu ducentorum Philippicorum. Collegium S. Mariæ ad gradus, & viceni in eo Canonici. Collegiũ S. Georgij, & in eo Canonici totidem. Collegium S. Vrſulæ, & in eo præter illuſtres Canonicas quinque, Canonici ſex. Collegium B. Virginis in Capitolio, & in eo præter Canonicas nobiles duodeviginti, Canonici tres ac deni. Collegium S. Cæciliæ, & in eo Canonici quinque. In quibus poſtremis Collegijs cenſus Canonicorum annuus eſt circiter, ad Philippicos ducentos. Sunt inſuper Coloniæ Domicilia, & Cœnobia omnium Ordinum, & eorum Templa ſatis egregiæ atque amplæ ſtructuræ; adeò autem Reliquijs referta, ſeu ex parthenio Sodalitio Diuæ Vrſulæ, ſeu ex legione Thebæorum; vt ex loculamentis ſuis diſpoſitæ Templorum eorundem parietes vndique exornent. Peculiariter admirationem prouocat noua Societatis IESV Baſilica, ex liberalitate ac munificentiâ Sereniſſimi Maximiliani Bauari Electoris, à fundamentis ibidem excitata. Populus Colonienſis Religionis auitæ retinentiſſimus eſt; quam vtique ſemel ſuſceptam, num-

quam

quam deſeruit. Tolerantur quidem in Ciuitate familiæ aliquæ Sectariorum ; ſed vetitum eis eſt exercitium omne Sectarum ſuarum: & ære graui mulctantur, ſi qui clam habere priuatos conuentus , & audire Lutheri aut Caluini buccinatores deprehendantur. In Senatum ipſum nulli cooptantur, qui Catholici non fuerint; & quotquot in eo conſcripti ad Curiam veniunt, ſententiam dicere , aut ferre ſuffragium non poſſunt; niſi priùs eodem die interuenerint Rei Sacræ,in proximo Palatij Senatorij Sacello. Noctu ipſi Ciues excubias habent, in potioribus plateis Ciuitatis : nec vis aut iniuria metui poteſt ; quia ſtrepitu quouis exciti adſunt, & opitulantur : graſſatores verò ac ſicarios in vincula conijciunt. Sed & plateæ omnes catenis ferreis noctu vinciuntur, ne pateant liberis excurſionibus ; ideóque populus maximè in tranquillo agit. Inter alia plebis commoda illud inprimis commemorari debet: licere cuique, ineunte hieme , boues ac ſues emere, eoſque fumo arefacere, ac in eſcam anni conſequẽtis, quâ veſcuntur auidè, domi ſeruare. Spatium verò eiuſdem anni eis concedi ſolet ad pretium repræſentandum, dum interim aliqui à Senatu conſtituti Mercatoribus ſol-

uunt:

Digitized by Google

uunt : nec vnquam opifices vlli quamuis inopes, patiuntur ſuam fidem in ea re deſiderari : quia deinceps haud foret integrum eis, rurſus eiuſmodi annonam rei cibariæ, illo tam inſigni ſubſidio æris publici, coëmere. Sunt & triclinia tribuum communia; in eisque poſſunt omnes ijs diebus, quibus feriantur in hebdomade, conſtituto pretio admodum facili, conuiuari.

Leodium Auguſta Eburonum, quæ olim gens perantiqua Reges Ambiorigem & Catiuulcum habuit, aduerſus quos geſtârunt bellum difficile Romani Duces, Legia etiam paſſim, à Scriptoribus ſuperiorum ætatum appellatur. Vt propterea exiſtimauerint nonnulli, legiones duas Romanorum, cum Legatis Titurio Sabino, & Cotta Auruncul æio, deletas internecione, ab antedictis Regulis Ambiorige & Catiuulco, Ciuitati dediſſe nomen: atque adeò Præfectum Lætorum Lagenſium, qui imperantibus Honorio & Arcadio, dicuntur habuiſſe ſtatiua prope Tungros, fuiſſe Præfectum Legienſium; ſeu militum præſidiariorum Imperij Romani, qui in Vrbe Legia degerent; rati hanc eandem eſſe, Vrbem antiquam Eburonum, de qua meminit in Hiſtoria ſua Iulius Cæſar. Sed priſci Scriptores, qui Leodium Vrbem nouam,

nouam, ſeu incunabula eius cernere potuerunt, tradunt; Legiam exilem riuulum, qui hodieque forum præterfluit, indidiſſe vocabulum Vrbi: quam Sanctus Hubertus, ex illuſtri proſapia Ducum Aquitaniæ, Romæ à Sergio Pontifice, Cæli admonitu, Antiſtes Tungrorum initiatus, condidit & ex ignobili vico reddidit illuſtrem ac potentem Ciuitatem. Id verò contigit, poſtquam S. Lamberto anteceſſori à ſicarijs improbis mors illata fuerat: ex quo ille aliquoties liberâ voce, vti decuit Sacerdotem magnum, redarguerat Pipinum primi Pipini nepotem; quoniam ſpretâ formâ, fide, & toro iuſtæ coniugis, Alpaidem pellicem ad thalamum admiſerat. Ex ea enim Carolum Martellum, Carolomanni, & Pipini Regis Parentem, ac magni Caroli Auum ſuſcepit; & iuxta Leodium ſunt Iupilia, atque Herſtallum; in quibus locis Pipinorum gens lares habuit, ac fundos hæreditarios. Itaque in ipſo patratæ cædis loco, in quem S. Martyris Lamberti oſſa Traiecto tranſtulerat ſupplicatione percelebri S. Hubertus (erat enim Sacellum vetus Sanctorum Coſmæ ac Damiani) condidit Ciuitatem. Eſt porrò ſitus eius aperta vallis, & amœna, Moſâ flumine, & alijs riuis affinibus irrigua: quam

circumſurgunt colles ſaluberrimi & virentes, eamque veluti coronant. Fundum & Principatum nouæ Vrbis eidem S. Huberto, Carolus Martellus, velut expiaturus noxas Parentum Pipini & Alpaidis, donauit; ſumptusque Vrbi condendæ ex parte magna ſuppeditauit. Dein tulit Hubertus conſentaneas pro ea leges, ordinauitque Rempublicam: cuius gubernaculis deinceps omnes eius Succeſſores Antiſtites præfuerunt. Eliguntur verò ij ſuffragio Cleri primarij, ſeu Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, & confirmantur à Romano Pontifice: cui peculiaris obſequij fidem, tum omni æuo profiteri conſueuit hæc Ciuitas, tum profiteri cœpit vel à primis exordijs ſuis: nam teſſera ſigilli, quâ vſus eſt S. Hubertus, primus eius Antiſtes & Princeps, fuit LEGIA ECCLESIÆ ROMANÆ FILIA. Ditio temporaria Principis Leodienſis, præter Vrbem ipſam, in qua & in amplis ſuburbijs eius, minimùm cenſentur Ciuium centena millia, continet Ducatum Bullonienſem, Marchionatum Francimontanum, Comitatum Loſſenſem, Comitatum Hornensē, ac inſuper quatuor, & vicena oppida mœnibus circumſepta. Auctoritas temporaria tamen Principis, etſi magna eſt, quædam nequit decernere,
abſque

abſque trium Ordinum ſuffragio, & hi ſunt Clerus, Nobilitas, & Plebs; abſque horum enim ſcitu atque conſenſu Princeps Leodienſis non poteſt Ciuitati, aut vniuerſæ ditioni vectigalia, nouaque eius generis onera imperare. De Plebeio, & Equeſtri Ordine nihil diſtinctè affero; ſed de Clero dumtaxat, vt conſtet eum, vti ad tres eos ordines ſpectat, complecti tantummodò Eccleſiaſticos Eccleſiæ primariæ, ſeu Cathedralis. Clerus enim ſecundarius, dignitate quidem impar, at numero & opibus multò maior & potentior (quippe omnes Canonicos Eccleſiarum minorum, & Curiones Pagorum, atque item Antiſtites, Cœnobiaque vtriuſque Sexus continens) haud obſtringitur decretis eorum trium Ordinum; ſed peculiarem conuentum, ſuumque comitium init ad S.Petri; ſoloque ibi ſuffragio decernit, præſtet ſectari, an recuſare id, quod terni Ordines alij deliberarunt. Princeps pro adminiſtratione politica vtitur Concilio priuato, quod vocant, ſeu ſecretiore Senatu; adlectis in eum proprijs Conſiliarijs, quibus præeſt Cancellarius, & is eligitur ſemper ex Sacro Eccleſiæ Primariæ Senatu. Pro annui cenſus atque prouentuum procuratione ordinaria Præſidem, ac proprios item

atque diſtinctos habet Conſiliarios. Merum imperium exercet per Maiorem Prætorem, cui ſubſunt Prætores duo minores, cum neceſſario ſatellitio militiæ armatæ, atque adeò per Scabinos quatuor ac denos. Hoc verò nuncupatur altæ Iuſtitiæ tribunal: nec reos criminum modò iudicat, ſed in cauſis quibuſuis Ciuium fert arbitrium, atque ſententiam. Ab hac tamen ſententiâ prouocare licet ad Concilium Ordinarium; ſecus à ſententiâ, quam tulerit aduerſus criminum Reos, nulla ſupereſt libertas prouocandi. Porrò trium horum conſeſſuum Patres, ac veluti Senatores, Princeps ſuffragio ſuo liberè conſtituit. At Concilium Ordinarium, de quo paulò antè memini, nouem conſcriptos Patres recenſet, ex quibus tres accipit à Principe, binos à Clero Eccleſiæ Cathedralis, binos ab Equeſtri Ordine, vnum à Ciuitate ipſa Leodienſi, vnum à ditionis reliquæ Oppidis ac Municipijs. Iudices porrò ij ſunt in gradu appellationis, ab eiſque demùm ad Prætorium Spirenſe Cæſaris licet prouocare; aut perrogare cauſæ nouam curam, nouamque eius diſcuſſionem à Principe, vel ab eius ſanctiore Senatu. Ad hæc Princeps habet Curiam Feudalem, quam vocant, in eaque gerit eius vices primarius aliquis

ex

ex ordine Equeſtri, cū duodenis alijs, partim Canonicis Eccleſiæ primariæ, partim Nobilibus, partim Iuriſperitis: atque ab his cauſæ omnes Feudorum decidi ſolent. Idem Princeps, vti Epiſcopus, iuriſdictionem Eccleſiaſticam adminiſtrat per Canonicos Eccleſiæ primariæ: ex quibus habet Epiſcopum Suffraganeum, qui Pontificis munia obit, Clerum initiando, adultos chriſmate ſacro inungendo, Sacrificij, & Templi vaſa, & vtenſilia ritè inaugurando, atque operando Aris ad ſolemnes anni dies. Habet Vicarium Generalem, cui eſt ampla poteſtas circa fori Eccleſiaſtici negotia; ijs exceptis, quæ cum litis contentione agitantur; nam pro his expendendis, decernendisque Iudicem generalem, ex ijſdem Canonicis Eccleſiæ primariæ habet, quem Officialem vocant. Sed & proprius eſt generalis Iudex, ſeu Officialis ipſiuſmet Cleri primarij, quem hic ſuis legit ſuffragijs: cùm alios tres Epiſcopus conſtituat. Sunt in eo præterea Magnus Præpoſitus, qui in Ciuitate Leodienſi habet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & cum Epiſcopo ipſomet concurrit in illius vſu atque exercitio; Decanus qui eſt caput & Præſes Cleri primarij; Scholaſticus Cantor; & imprimis ſeptē Archidiaconi, qui tanquam

oculi ipſius Epiſcopi vniuerſam latè Diœceſim circumſpiciunt, & parœcias foris omnes regunt. De numero annuisque prouentibus Canonicorũ, cum egerim alibi, nihil rurſus attinet dicere. Solùm inſinuauerim, in Senatum Eccleſiæ primariæ neminem cooptari, niſi ex legitimo toro tum ipſe, tum Parentes & Aui fuerint, ſine cuiuſuis alterius ignominiæ metu, vel nota. Omnes inſuper, aut per explorata Auorum nobilium ſtemmata, aut per Sacræ Theologiæ, vel Iuriſprudentiæ lauream, tamquam per teſſeram huius ſupremi ordinis Eccleſiæ Leodienſis, probantur; vt ſint ex Collegio, quod cum Principe ipſo audit Dominus totius ditionis, & ex quo iudices Synodales ſinguli cenſentur, ſicuti cenſentur Decani Canonicorum Ordinis Secundarij, & omnes Apoſtolici Protonotarij. At Senatus & Populus Leodienſis ſuum peculiarem habet magiſtratum, Conſules nimirum duos; qui quotannis in menſe Quintili, & in ipſo Feſto S. Iacobi mane ita eliguntur. Circa primam lucem, triginta duæ Tribus, in quas vniuerſus populus diſtribuitur, ad comitia veniunt, ſuaſque cellas, ſeu ſtationes, ſitas circa forum, ſeorſim ſingulæ adeunt. Ibi vrna ternos renuntiat, ex vnaquaque Tribu, ex quibus v-

nus

Digitized by Google

nus Trigintaduum-vir, bini alij verò Iurati appellantur. Trigintaduum-viri mox ad Curiam Ciuitatis veniunt, & nouos Ciuitatis Conſules creant communibus calculis. Sed neceſſe eſt, partem dimidiam excedat numerus calculorum. Hi porrò Conſules vna cum quatuor Vrbis Cancellarijs, & ſexaginta quatuor Iuratis, conſtituunt Magiſtratum, ad quem anni conſequentis regimen ſpectat: ijdemque ſunt veluti Senatus Ciuitatis, ſeu quod vulgo appellant, Concilium Ciuicum. Huius ea eſt iuriſdictio, vt Vrbem & pomœrium, hoc eſt ſuburbia, & pagos finitimos vndique ad vnum milliare magnum, regant. Peculiariter cum in cauſis Ciuium ſententiam, Cancellarij & Iurati tulerint; licet ab ea prouocare ad tribunal Trigintaduum-virum, qui Conſules creauerant; iterumque ac tertiò diſcuſſio litis denuò à iudicibus habetur, quos ijdem Trigintaduum-viri deſignarint. Ad hæc ipſi Conſules, vti moderatores plebis vniuerſæ, Ciues ad arma, ſi neceſſitas ingruat, pro imperio vocant; excubias diſponunt, & ordinant in portis atque ad mœnia; habentque claues Ciuitatis: ſed pro excubitoribus, & milite à Magno Decano Cleri primarij teſſeram accipiũt. Nullus porrò Ciuiũ poteſt capi in ædi-

bus

bus proprijs, ſeu propter æs alienum, ſeu propter quaſuis ciuiles cauſas. Si quos tamen crimina reos fecerint; primùm eos meruiſſe cuſtodiam & vincula, decerni debet, tum in conſeſſu Scabinorum, tum in conſeſſu altero Conſulum, & Iuratorum; hoc eſt, vt vulgus loquitur, per legem, & franchigiam. Dein verò ne capi quidem poſſunt, niſi alter Conſulum Prætori clauem Conſularem dederit, & quaſi conceſſam domui immunitatem aperuerit. Eſt prætereа Tribunal violentiarum, conſtatque ex Vigintiduumviris, quos Clerus primarius, Equeſtris ordo, Plebs Ciuitatis Leodienſis, & octo aliæ totius ditionis vrbes nominant; vt omnem vim à Ciuibus prohibeant. Excedunt ij tamen poteſtatis ſuæ limites: nam in ius vocare non ipſius Principis modò ſupremos Miniſtros, ſed Eccleſiaſticos etiam iudices interdum audent. Ab huius deinde Tribunalis reſcriptis, aut decretis prouocare eſt ad Tribunal aliud, quod Statuum appellant, & in quo cenſentur Viri quaterdeni: nempe duo conſtituti à Principe, atque hi ſunt eius Cancellarius, ac Generalis Vicarius; duo alij è Clero primario, quatuor ex Equeſtri ordine, bini Conſules, duo Exconſules eorum anteceſſores, ac demùm duo ex externis

Oppi-

oppidis Leodienſis principatus, ab his iterum integrum eſt cuicumque, ad Cæſaris Prætorium Spirenſe prouocare. Ceterùm Leodienſis populus quam eſt retinens ſuæ vel immunitatis, vel mixtæ cum ſubiectione aliqua libertatis, tam eſt Religionis Catholicæ perſtudioſus, nec admittet facilè prauam Hæreſeos iam nimiùm propinquæ nouitatem. Conati quidem ſunt nonnulli clam ea proſeminare, quæ in auitæ Religionis perniciem ſuccreſcere ſenſim potuiſſent: poſtquam Bataui Venlonam, Ruræmundam, Traiectum, & Lymburgum in poteſtate habuerunt: ſed ne virus hoc animis læthale radices poneret, ego effeci; tum apud Vicarium Generalem Epiſcopi, & Clerum primarium, tum apud Conſules & Magiſtratum Ciuitatis: fuitque eorum omnium mira cõſenſio, vt qua ſaluberrimis edictis, qua metu carceris, & mulctæ grauis & exilij fidem Catholicam propugnarent.

Moguntia vetus & olim re ac vocabulo aurea Ciuitas ibi Rheno alluitur, vbi in eundem amnem Mœnus exonerat ſe, & æſtuaria ferme iuſti maris ingreditur, tanta ibi eſt Rheni magnitudo. Parum à Ciuibus frequens hæc Vrbs, tria eorum millia haud multum excedit, ſubeſt verò penitus

Digitized by Google

tamquam Epiſcopo pariter & Principi, Archiepiſcopo atque Electori, qui eſt Sacri Romani Imperij Archicancellarius. Is verò in alijs Vrbibus atque Oppidis Moguntini principatus partim obtinet eam vtramque poteſtatem, partim eſt compos dumtaxat Eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Alioqui ampla eſt diœceſis eius, & ampla tẽporaria ditio, habetque vicenos hæc & quinque Præfectos, ex quibus vnus facilè bis cẽtũ regit vel oppida vel pagos. Eccleſia primaria firmæ ac magnificæ ſtructuræ Canonicos duos & quadragenos enumerat, ex quibus quatuor & viceni ſuffragium ferunt, alij duodeviginti non ſunt ex eorum ſecretiore conſeſſu: percipiunt tamen ipſi perindè atque alij quotannis, ſi pax & vbertas faueat, philippicos mille. Quinque primarij, qui obtinẽt dignitatem aut Præpoſiti, aut Decani, aut Cuſtodis, aut Scholaſtici, aut Cantoris, habent circiter philippicos bis mille; & hi ſacra ornantur cidari, quando ritu ſolemniore ad Aram litatur. Sed & alia nouena in Vrbe ſunt Collegia Canonicorum, nempè S. Petri, S. Stephani, S. Victoris, B. Mariæ Virginis, S. Albani, S. Crucis, S. Ioannis, S. Mauritij, & S. Gengulphi: & ex his prima quinque Canonicos circiter duodeviginti,
alia

Digitized by Google

alia quatuor Canonicos vel ſex, vel octo recenſent cum prouentibus ſatis opulentis. Peculiariter ad S. Albani, ſicut ad ſummæ Ædis, ſoli admittuntur Nobiles Equeſtris Ordinis.

Treuirorum Ciuitas plena vetuſtate famæ, abſque vlla eſt recenti dignitate: nam infrequentior, quam Moguntia à Ciuibus, nec ædificiorum gloria ſpectabilis, ſolo ãtiquæ Vrbis ſitu ad Moſellam mitem amnem atque perſpicuum iam placet. Archiepiſcopus & Princeps Elector, eſt illius Antiſtes ſimul ac Dominus; Canonici ſummæ Ædis ſex ac deni prouentus ita percipiunt, vt deni vniuerſos, ſeni verò ex parte habeant: alij iuniores tres ac viceni, nec prouentibus, nec ſuffragij iure potiuntur. Dignitate inter eos inornantur Præpoſitus, Decanus, quatuor Archidiaconi, Theſaurarius, Scholaſticus, Cantor; & à nobilium Auorum ſtemmate clari omnes eſſe debent. Sunt inſuper Treuiris duo minora Collegia Canonicorum; & quatuor inſignia Cœnobia ordinis S. Benedicti, præter alias plures vtriuſque ſexus Religioſas familias, & paræcias ordinarias Ciuitatis.

Herbipolis amœna Ciuitas & caput Orientalis Franciæ, ſeu Franconiæ, quam vocant, Epiſco-

Digitized by Google

po Herbipolenſi ſubeſt etiam, tamquam Principi & Duci eiuſdem Franconiæ. Iuxta Mœni alueum explicatur hæc Vrbs in eam amplitudinem, vt ædes bis mille, ciues decies mille circiter contineat. Eccleſia primaria, quæ eſt ſtructuræ perantiquæ, Canonicos habet duos & quinquaginta, nobiles omnes. Inter eos verò duæ ſunt dignitates Præpoſiti ac Decani, officia tria Cantoris, Scholaſtici & Cuſtodis. Viginti quatuor dumtaxat in ſecretioribus conuentibus Seſſionem & Suffragium habent, & ſunt horum annui prouentus Philippici circiter ſexcenti, aliorum autem fermè dimidio pauciores. Sunt deinde alia tria Collegia Minorum Canonicorum, primum eſt S. Ioannis in Augis cum triginta Canonicis, alterum S. Ioannis Noui monaſterij cum Canonicis totidem, tertium S. Burchardi cum Canonicis duodenis: habentque ſinguli annuè Philippicos aut quadringentos aut trecentos. Arx in iugo montis excelſo ac præalto ſimul Epiſcopi habitatio eſt, ſimul eſt propugnaculum Vrbis: In qua Vrbe notabilia ſunt imprimis ſeminaria duo, alterum Iuuenum Nobilium, alterum aliorum, qui centeni numero aluntur, in ſpem Cleri neceſſarij ad paræcias diœceſeos regendas: ac inſuper Xenodochium

ſeu

Digitized by Google

ſeu hoſpitalis domus, quæ elegantia ſtructuræ, & horti amœnitate, non egenis ægrisve, ſed nobilibus ac felicibus parari potuiſſet; atque ibi fermè ad trecentos victu liberali honeſtoque ſuſtentantur.

Wormatia Vrbs in Rheni tractu ſita inter Spiram & Moguntiam, ædes bis mille, ſed Ciues haud pro earum numero nunc habet. Eſt Imperij libera Ciuitas, & ſub Palatini Septemuiri patrocinio infecta Hæreſi, raros iam recenſet Catholicos. Eccleſia eius Cathedralis dignitates quinque, Canonicatus duos ac vicenos habet, & ſunt Wormatiæ alia item quatuor Collegia Canonicorum Secundaria: neque redditus ſeu Epiſcopi, ſeu Canonicorum ſunt copioſi, tam auidè violenterque fundos ipſorum & opes finitimi Principes Sectarij, ſpretis quibuſuis aut legibus, aut pactis pacis publicæ, inuaſerunt.

Oſnaburgum Weſtphaliæ Vrbs habet ditionem propriam, & cum ea ſubeſt Epiſcopo, etiam tamquam Principi. Ciuium plerique Sectarij ſunt, ſed eorum non pauci nomen Catholicæ Religioni nuper dederant, cùm vis belli atque armorum ibi omnia rurſus perturbauit. Quinque in Eccleſia Cathedrali Oſnaburgenſi eminēt

dignitate, Præpoſitus, Decanus, Scholaſticus, Cãtor, & Theſaurarius, Canonici alij numerantur quatuor ac viceni: nec ſunt annui eorum prouentus admodùm copioſi: vnumque aliud eſt prætereà Oſnaburgi Collegiũ Minorum Canonicorũ.

Aquiſgranum Ciuitas, quæ gloriatur de Carolo Magno Conditore, duo habet Collegia Canonicorum, alterum primariũ ab eodem Carolo Virgini Deiparæ dicatum, alterum ſecundarium ab Henrico III ſancto item Imperatore dicatũ Diuo Adalberto Pontifici & Martyri. Illud Canonicos triginta duos cum opulenta dote, hoc verò Canonicos duodenos cum dote admodùm exigua enumerat. Tria ſũt in hac Ciuitate iuris dicũdi tribunalia: nempe Eccleſiaſticũ, ſeù ſynodale vt vocãt, cui præſidet Archipresbyter, & in quo Parochi quatuor, Scabini Laici ſeptem ſententiam dicunt, in cauſis ſeù Teſtamenti, ſeù matrimonij, ſeù decimarum, ita vt ab eo non liceat aliò vſpiam prouocare, ex antiquis Summorum Pontificum ac Cæſarum indultis. Tribunal laicum decem & quatuor Scabinorum, qui arbitria ferunt in ordinarijs cauſis forenſibus, & in reos criminum quoque animaduertunt; atque huius Tribunalis ſupremum Iudicem conſtituunt iam Duces Iuliæ,

cum

Digitized by Google

cum id ageret olim Cæſar. Sed & eiuſdem tanta fuit olim auctoritas, vt ad ipſum prouocaretur vndique ex vniuerſa regione oræ Septemtrionariæ, ſicuti reipſa nunc ad eam prouocant Nouiomagenſes: tametſi Ordinibus pareant fœderatarum Prouinciarum. Tribunal denique Electorale, vt appellant, cui duo Conſules, duo Scabini & alij interſunt, quos Chriſtophoros nominant; ſunt autem iudices dumtaxat eorum criminum, quibus aut exilium, aut mulcta æris, aut peregrinatio longinquior iniungi ſolet. Populi gubernatio fit per magiſtratum, cuius eſt duplex Curia: nimirùm altera maior ex ſenatoribus centum ac viginti octo, altera minor ex ſenatoribus duobus & quadraginta. Cogi prior Curia non ſolet, niſi cum de arduis & magnis rebus fuerit deliberandum: minor verò Curia bis in quauis hebdomade habetur: & vtrique duo ij Conſules præſunt, qui annuum gerunt Conſulatum. Pagi duodetriginta ſubsũt S.P.Q. Aquiſgranẽſi, cum proxima Vrbi Toparchia, quæ Porcetum nũcupatur; in qua perindè atque in ipſa Ciuitate ſunt thermæ aquarũ ſaluberrimarũ. Populus eſt potiori ex parte Catholicus, nec ad Magiſtratum aut ad munia publica Sectarios admittit, vel eos exer-

cere

Digitized by Google

cere propriæ ſuperſtitionis ritus pariter, patrocinante Vrbi Cæſare, fauentibusque Belgij Principibus, vt ibi fides auita retineatur. Atque hæ ſunt Vrbes, quas interdum adiui, aut inhabitaui etiam; dummodo binas excipiam, nempe Wormatiam & Oſnaburgũ: quarum notitiam habui ex Commentarijs à me formatis, quando electi ſunt noui Antiſtites earum.

LVIII.

VT demum prodeat, velut in theatrum etiam huius narrationis, tragædia miſeranda diſtracti cruentas in factiones Imperij, ex Religionis præcipuè diſſidijs, paucis iam referam eius vniuerſam ſeriem. Poſt memorabile ad Pragam prælium, & ſubactã Bohemiã, Comes Ioãnes Tillius, Supremus Legatus fœderis Catholici, & Vir Imperatorijs virtutibus nemini ſuperiorum Ducũ ſecundus, hebetauerat ſæpius coniurata Principum ſectariorum arma, & afflixerat non parum eorum opes. Etenim Mansfeldium Nothum, Marchionem Badenſem Turlacium; Chriſtianum Brunſwicenſem Alberſtadium, veluti terna vnius Cerberi capita, ipſe alter Hercules, collatis vniuerſis ſignis, aliquoties domuerat, exueratque

Caſ-

Digitized by Google

Caſtris. Hoc eſt ad Wimphenam, ad Lorichi-enſem ſaltum, & ad Hoextam: vbi peculiariter Mœnus, cum inuſitato ſanguinis & cadauerum hoſtilium tributo, extremas vndas voluens, ſe in Rhenum propterea fermè attonitum exonerauit, & vniuerſum eum tractum Germaniæ famâ conflictus maximi repleuit. Dein Heidelbergam ſedem Palatini Septemuiri à Cæſare Ferdinando exauctorati, tametſi firmis operibus munitam, vi expugnauerat, Manhemiumq́ue celebre, atque ex multorum ſententia inexpugnabile, deditione occupauerat. Ad hæc Mansfeldium nouis auctum copijs, & ſigna rurſus inferentem, atroci pugna, iuxta limites Friſiæ, ad Statloniam profligauerat, eo die maximè augurato; quo in Vrbe Roma Vrbanus VIII. Comitijs Vaticanis, mira conſenſione ſacri Senatus, Pontifex Maximus eſt renunciatus. Sed his feliciter geſtis, cum iam pacati propemodum Imperij quies aliqua ſperari poſſe videretur, & recreando militi, feſſo tot anhelis expeditionibus, à Tillio victore ſtatiua diſtribuerentur: repente nouus hoſtis è ſinu maris Baltici emerſit, & ex Cimbrica Cherſoneſo.
Is fuit Rex Cimbrorum; vocatus in Societatem belli, à fœderatis Sectariorum tam vrbibus, quam

Digitized by Google

Principibus oræ illius Septemtrionariæ, quàm appellant circulum Inferioris Saxoniæ, nam huius ille circuli Dux ſupremus acclamatus eſt. Bellum itaque redintegratum eſt eò periculoſius, quòd vires hoſtium anteà diſperſæ, iam in vnum corpus quodammodo coaleſcere inciperent, & vnius animo atque conſilio gubernari. Rex ipſe bellicoſus vulgò habebatur, & alienus adeò à feſtinatione in prælijs, aut ſuſcipiendis aut gerendis, vt ſolus eſſe, qui poſſet rem cunctando reſtituere, paſſim crederetur. Omen habuit tamen infauſtum ac triſte, in ipſo expeditionis exordio, collapſus ex Mœnibus Hameliæ in foſſam: dum obequitaret, luſtraretque vel Vrbis munimenta vel excubias. Equus certè eo præcipitio ſtatim exanimatus eſt, Rex verò abalienatis ſenſibus planè intermortuus auerſus aliò, vt curaretur, dubiã famam, incertoſque rumores diu fouit in proprijs caſtris etiam, nedum in Tilliano exercitu; quaſi Deus facili exitu ab inimico Rege Imperiũ liberaſſet; ſi vt conſtanter ferebatur, vnus ille caſus equum & Aſcenſorem ſuſtuliſſet. ſuperſtes fuit tamen; at vincere, ſi minùs viuere, ſtatim deſijt, etſi nondum incœperat pugnare: & vixit, vt ſemper ad Tillij gloriam æternã deinceps vinceretur.

retur. Kniphuſius Regis & Alberſtadij emiſſarius, in Weſtphalia cæſus eſt; & mox trans Viſurgim amnem Tillius mouit, nec alio antecurſore vſus eſt, quàm terrore nominis ſui; armorumque ſuorum famâ repentè omnem eam latè regionem perpaueſecit. Ditio Brunſwicenſis, & ditiones aliæ finitimæ præſidia militum eius admiſerunt. Ad Calembergam pugnatum eſt, iuſto Marte; & non ita multò poſt ad Lutheram totis caſtris; eoque ſucceſſu, vt exercitus Regius propemodũ omnino deletus fuerit, & Rex ipſe arripere ignobilem fugam, atque deſerere aciem debuerit. Exinde oportuit reliquias hoſtium in ipſis Vrbibus aggredi; nam publico abſtinere & pugnæ copiam negare conſtituerant: id verò anceps aut ſaltem diuturnum Tillianis fuit. Attamen pleriſque aut deditione, aut vi ſubactis; Wolfembutellá Brunſwici præcipuá Vrbé arcéque, Northemiũ, & Nyẽburgã deliberauit Tillius per Legatos premere peculiari obſidione; & interim ipſe Regi occurrere, ſi quomodo ſuis auxilia ferentem aut cædere rurſus, aut capere demùm poſſet. Rex contrà declinare cõgreſsũ, ſed Tillius eum ditionibus Lunæburgica atque Bremẽſi vltrà Albim pellere. Põtẽ quidẽ in eo amne ſibi Rex parauit; eoque vſus ali-

 quan-

Digitized by Google

aliquandiu eſt ad excurſiones & populationes. Tillius tamen, qui in ſterili regione cum exercitu interim agebat, difficilique ad cōmeatum importandum, & quem Ruſtici deſertis pagis, morantesque in propinquis ſaltibus ſubinde aggrediebātur, certū habuit emigrare, Regemque adoriri, & obſidionibus quidem non intermiſſis, quas eius Legati ſtrenuè promouebant. Pontem igitur ſuū & ipſe in Albim, ex pontonum & nauium tumultuario annexu iecit, & copias tranſmiſit, quæ magis in delectu, quam in numero victoriæ ſpem dabant: nam veteranis ſuis non adeo multis adiunxerat Ducis Fritlandij aliquot ex eius exercitu Cæſareo legiones. Spectarunt Regij, qui inter fluuios Albim & Auelā fixerant caſtra: & admiratione primū, dein fortitudine ipſa Tillij, ac militum eius victi ſunt: Rex autem in extrema caſtra, atque indidem ponte in fugam prolápſus eſt. Tūc Tillius, qui in labore atque diſcrimine ſolus fuerat, adſcito in partem gloriæ Duce Fritlandiæ, ſtatuit iunctis copijs perſequi retrocedentem & in Holſatiam euntem Regem. Aciem vtriuſque Ducis antecedebat terror Cæſarei nominis, ſtatimque ad deditionem complura Holſatiæ oppida coëgit. Ne ſegnis tamen victoria militi ſtrenuo eſſet, ſi

nimi-

Digitized by Google

nimirum obueniret vltro, ac ſine omni pugna; fuit opus quoque identidem dimicare. Quin imo Tillius ipſe, Dux & miles, ſolituſque obuiam periculis inter ſuos primus ire, ad Pinnebergam vulnere impreſſo, læſus eſt: ideoque Lauuemburgum ſeceſſit, vt curaretur. Ceterum Fritlandio Duci, eiuſque exercitui Cæſareo reliquit proſequendam victoriam; poſtquam proprio gladio ad illam aditum ita magnum aperuerat; vt meruerit elogium, natum non ex clementis magis, quam ex omine felici nominis ſui. Luſit enim aliquis ingenioſè, & ex eo themate IOANNES COMES DE TILLY litteris aliter ordinatis, atq; diſpoſitis, reddidit hoc pulcherrimũ Anagrãma DANOS ILLE EIICIT OMNES. Dux Fritlãdius certè haud magno conatu Glucſtadiũ, totãq; ſubindè Holſatiã, & mox vniuerſam Cimbricã Cherſoneſum, quam longiſſime illa extenditur in vltimos receſſus oræ Septentrionariæ, Ferdinando II. Cæſari adeptus eſt; compulſo in ſuamet propugnacula, nec tam ijs, quam æſtuarijs interfuſi maris defenſo Rege. Intereà Tillius perſanato vulnere, ac omni diſcuſſo morbo, copias ſuas cis Albim reduxit; Northemium recepit; Woltembutelam, & Nyemburgum, Vrbes dudum obſeſſas

Digitized by Google

deditione occupauit, exactisque omnibus Regis præſidijs ex Bremenſi Principatu, magnam equitatus eius partem tradere ſigna, & abire inermem coëgit. Demùm Stadam, Oppidum nobile, & ad Albis oſtia munitum, cui propugnando præerat Morganus Britannus, multorum præliorum famâ notus atque impiger Dux, valida conſtantique obſidione Cæſarei iuris fecit. Sed & ibi ſedem ſuam figens, Imperij Romani Aquilas victrices conſtituit: vt non niſi eas priùs venerans Albis, Fluuius Regionis illius maximus, Oceano Germanico illaberetur. Haud ita multò poſt tamen, cum Cimbrorum Rege, hoſte aliquoties debellato, haſtisque & gladijs noſtrorum exercituum, in proprij Regni latibula retruſo, pax inita eſt; qualem ille à victis accipere debuiſſet. Nimirùm ea ignobilitate pacis, & concordiæ cum Rege externo atque Sectario, emi debuit ea, quæ mox ſecuta eſt, lamentabilis Italiæ calamitas; ac tanti ſtetit totius pene dixerim Inſubriæ pernicies ac ruina, deſideratis partim ex bello, partim ex lue atrociſſima, militum & popularium facilè ad decies centena millia. Interim exarmato Imperio, vt cis Alpes & ad Padum po-
tius

tius dimicaretur, Guſtauus Adolphus Rex Gothorum & Wandalorum, Dux belli peritia, diuturnaque armorum exercitatione Cimbrorum Regi longè anteferendus, pactis cum Sigiſmundo Rege Poloniæ inducijs, acceſſit ad Sectariorum Principum partes; qui redintegrato bello rurſus Imperium labefactare, ſub capite magis valido meditabantur. Mare Balticum Rex claſſe cum exigua tranſmiſit, ſed quæ fortunam Cæſaris vehere illi videbatur: vt pari proinde omine, atque olim Cæſar poſt tranſitum Rubiconis, tunc etiam ipſe dixerit iactam eſſe aleam. Pomeraniam ingrediens Ducem Regionis, & Primores obuios habuit, qui inter ſalutationes gratulationesque Vindicem ac Liberatorem ſuum iam tum eum appellarunt. Sed & commeatum affatim dederunt; plurimique deſertis Vrbibus & pagis ſequi caſtra eius deliberarunt. Quare auctus copijs, Stetinum Principem Vrbem Pomeraniæ muniuit, ac iuſtum exercitum habere ſub ſignis cœpit. Haud procul Stetino Caſtra Cæſaris erant, quibus Torquatus de Comitibus præerat; ea tamen propinquitas dumtaxat velitationum occaſio fuit: & tum maximè apparuit,

quanti

Digitized by Google

quanti fuiſſet momenti Straleſunda, Ciuitas à præſidiarijs Regis Guſtaui defenſa, ab Duce autem Fritlandio obſeſſa & oppugnata, ſi in poteſtatem Cæſaris redigi potuiſſet, aut ſi (quod multi exiſtimarunt) pecuniam Fritlandius, quam Vrbem capere non maluiſſet: poſtquam ſuorum iacturam ſatis grauem paſſus fuerat, in longa difficiliq́ue illius obſidione. Saltem Vrbe illa Cæſari ſubactâ, prohibere acceſſum noui hoſtis, aut impedire incrementa illius, initiaq́ue eius parua & tenuia extinguere licuiſſet; antequam incendium excitarent maximum, miſerandamq́ue in Imperio ederent vaſtitatem. Fuiſſe pares aut ſuperiores vires Exercitus Cæſarei, quando Stetini Rex primum erat, referunt aliqui, ſolamq́ue abſentiam Ducum Supremorum opinantur cauſæ fuiſſe, cur eorum Legati Stetinum premere obſidione, aut Regem ad prælium euocare non deliberauerint. Etenim Comes Ioannes Tillius Ratisbonæ agebat in Comitijs apud Cæſarem, & apud quatuor S. R. I. Septemuiros: Dux ipſe Fritlandius erat Memingæ: in ijsq́ue Comitijs idem Fritlandius, cuius ſecreto quidem fides, palam ſuperbū imperium & arrogans poteſtas malè audiebant, exautoratus eſt: Tillius verò caſtris vtriſque Cæ-
ſaris

Digitized by Google

ſaris, & Confœderationis Catholicæ impoſterum præfuit: etſi exautorare vniuerſum eius Militem, ad Cæſaris peræque, ac Religionis certam perniciem, aliqui conati fuerant in Comitijs Ratisbonæ. Rex interea munitiones præcipuas, partim vi, partim deditione occupare; aut obſidione claudere, ac Cæſarianis eas omninò inutiles reddere. Colberga diu obſidionem tolerauit, ſed poſtremò cadere, ac ſe Regiis dedere ipſa etiam debuit, ob penuriam annonæ: quam admittere tamen mari potuiſſet; niſi onerarias quatuor, (incertum fraude, an iniuria), cunctari in portu, nec ſoluere, dum Ciuitatis obſeſſæ ſumma vrgeret neceſſitas, contigiſſet. Cripſwaldia pariter diù ſtetiſſet, Pomeraniæ arx munitiſſima, & cuius excurſiones frequentes, Stetinum vſque, & vſque Straleſundam, Regi, eiuſque copiis plurimùm incommodabant. Sed poſtquam Præfectus eius, Vir ſtrenuus, inſidiis Regiorum circumuentus occubuerat, paciſci debuit, ac facere deditionem. Egreſſi præſidiarij cum explicatis vexillis, cum armis, atque apparatu militari, fidem in Regijs (quam violare fœdiſſimum eſt vel in hoſte barbaro) deſiderarunt. Etenim etſi eis Regij fore integrum promiſerant, vt Roſtochium, vita ſoſpite, ac ſaluo armorum

Digitized by Google

inſtructū ad ſocios irent; attamen fuit impoſita neceſſitas, per ſemitas difficiles, ac propemodum inuias, eundi aliò ad Albim. Quin etiam in itinere ipſo, immiſſa eſt legio equitū Regiorum, quæ arma illis ac vitam eriperet: adeò vt ex mille ſexcentis militibus veteranis ac ſelectis, centeni vix euaſerint. Comes Tillius, datis ad Regem litteris, queſtus eſt inſignem eam perfidiam; atque eſt minitatus ſimilem ac parem ſtragem; ſi propitio Numine aliquando vinceret. Rex contra excuſauit facinus, cuius videlicet ſe haud fuiſſe conſcium aiebat; eoſque ſaltem, qui ex barbara illa nece ſuperfuerant, ſemiamictos, & confectos propemodum ſqualore, ad ſuos redire permiſit. Ceterùm Tillius ſecum animo reputans, exactis Cæſaris præſidiariis, vniuerſam Pomeraniā eſſe iam in Regis poteſtate, captis Wolgaſto, Greiffenhagen, Francofurto ad Oderam, & Temineo; quæ vltima munitio ianua Regi eſſe poterat, ituro in Marchiā Brandeburgicā, vel in ditionem Megalopoliatanā; iuſſit in hac ſaltem ditione principē Vrbē Roſtochiū muniri egregiè: ac Neobrandenburgum Regijs vi eripuit. Tentaſſet perinde Teminej recuperationem, vt patefacto eo rurſus aditu, in ipſa Pomeraniâ Regem quæreret: ſed metu grauis incōmodi, quod ex

il-

Digitized by Google

illius obſidione hiemali exercitus accipere potuiſ-ſet, maluit regredi; ac Magdeburgũ caſtris totis oppugnare. Propinquas munitiones, & externa eius propugnacula ſubegit ſtatim, Ciuesque penitus intra mœnia concluſit. Ibi Tribunus Regis Falkenbergius, qui Ciuitati præerat, dicitur ſigillo Regio fuiſſe vſus aliquoties, vt epiſtolas concinnaret Magiſtratui ac populo inſcriptas, cum amplis pollicitationibus: nempe vt fieret perſuaſio, propediem ab Rege ſuppetias venturas. Hinc verò aiunt obortam pertinaciam Ciuiũ; qui deditionem alioqui deſperatis auxiliis feciſſent. Tandem perfoſſis cuniculis Cæſariani ſuggredi mœnia, periculum facere, atque aſſultare in pręſidiarios & Ciues. Sed enim vtrique cõſtantem animum, nec perinde concuſſum, ac mœnia oſtẽtare; ſtrenueq; propugnare Vrbem. Tum verò Tillius, æſtimari ab ſe virtutem illorum ſimulans, canere receptui, abitumque & fugam fingere. Quæ res fuit occaſio, vt obſeſſos primùm fatigatio, dein ſecuritas in ſomnũ prorſus morti proximũ induxerint. Videlicet repente Tillius reuerſus Vrbem aut ſegnem, aut ceſſantem, aggreſſus eſt impreſſione tam acri; vt momento eodem propemodũ viſa fuerint hæc omnia geri: nẽpe ab omni parte murũ quatere, di-

ruere, conſcendere, atque obuios quoſque hoſtiū trucidare. Nec modò peditem expeditum & celerem, ſed equitem quoque admiſerunt ruinæ Vrbis proſtratæ: fuitque initio atrox pugna, Regijs præſidiarijs Cæſarianos excipientibus, vultu nondum ſuperato, ſed minaci. Tandem Tribuno Falkenbergio in prima acie traiecto, Cæſarianorum, & imprimis Pappenhemij virtutem generoſam ſuſtinere diutiùs Regij non potuerunt. Proinde cùm & ipſi,& quotquot Ciuium aduenerant armati, promiſcuè caderent; inermes alij rati ſunt, res Patriæ omnino eſſe conclamatas, pyrijque pulueris cados plurimi in ædes proprias importarunt, & confeſtim ſubdita ſcintilla Vrbem incenderunt. Diceres cum ferro & manu Cæſarianorum coniuraſſe ignem; ſiquidem in diuerſis ædibus ac vicis ſeorſim excitatus,non abſque miraculo, vaporem iunxit,Vrbemque Cæſari Superis, ac Deo rebellem, cingere, obſidere, abſumere vniuerſam viſus eſt.

Maior tamen fuit eiuſdem ignis, quam ipſorummet Ciuium religio: quoniam ſummum Templum atque ædes ei propinquas non læſit: vt conſtaret,cuinā Aræ, per ſacrilegium abiuratæ ac ſpretæ, Magdeburgenſium ſanguine litaretur. Deſidera-

Digitized by Google

derati ex militibus Cæſarianis plures in hoc incẽdio ſunt, quàm in pugna ipſa, vel in obſidione: atque occubuere præſertim ij, qui ſtudio prædæ, intrauerant diuitum domos, ac tecta in pyram ſepulchralem, atque in tumulum abitura; priuſquã infortunium aduertere, nedum euadere ipſis liceret. Ceterum multitudo ingens cuiuſuis ætatis, ac ſexus, cum ſuiſmet ædibus conflagrauit: quam ſi accenſeas aliis, qui ferro necati ſunt, facilè vna illa dies, funerum bis vicena millia numerarit. Dum hæc geruntur, Lantgrauius Haſſiæ pro ſe militem legere, nouiſque rebus ſtudere: ideo Haſſiam verſus Mulhuſium Tillius mouit, conatusque eſt eum ab inito belli conſilio dehortari. Ille tamen diſſimulare omnia & profiteri, ſe rurſus inermem fore; modò Saxoniæ Septẽ-vir, particeps conſilij ſui, pariter arma poneret: imo & iactare, à Cæſare ambos eſſe, & porrò deinceps futuros. Haud fefellit eius diſſimulatio dolusque Tillij circumſpectum, ac ſolertem animum: voluiſſetque ſingulos eorum aggredi, atque conficere, priuſquam copias iungerent: ſed remora iniecta eſt à Cæſare, vel ab eius ſecretiore Senatu: nam erant Viennæ, qui conſultius ducerẽt, ambos eos Principes æſtimare amicos; quamdiu ſe hoſtes nõ

pro-

prodercnt. Quocirca Tillius paruit, & aduerſus Regem rurſus arma conuertit, qui ſtrauerat pon-
tem in Albi, duodenis milliaribus infra Mag-
deburgum, iuxta oppidum Werben, in eoque vaſtam munitionem excitauerat. Caſtra ſua in propinquo loco fixit Tillius: ſed cum ſum-
ma difficultate annonæ, quam ægrè ac vix ſpera-
re poterat ex ditionibus Magdeburgenſi & Hal-
berſtadienſi vaſtatis, atque exhauſtis: cum in-
terim Rex eam acciperet abundè ex ditione Brandeburgica. Nihil aliud ſupererat, quam vt Rex aut Tillius claſſicum caneret, inferret-
que alteruter ſigna: dum verò in dies ſingulos vtrimque prælium exſpectatur, Rex ex muni-
tione erupit cum vniuerſo equitatu: ſed retro-
cedere mox debuit; actusque in fugam eſt ſi-
mul per pontem peditatus: quem perſequi Til-
lius deliberaſſet: niſi ex Tribunis primarij hoc diſſuaſiſſent. Quia deinde caſtris eius ibi-
dem manſio diutina eſſe non poterat, in qui-
bus commeatus militi, gramen equis deeſſet; reuerti ac Wolmerſtadium ire coactus eſt: v-
bi aliquomodo pro exercitu annona conualuit. Dein Magdeburgum prætergreſſus, copijſque Eiſlebiæ conſtitutis, Halam conceſſit: vt

ibi

ibi opperiretur, quid demum ad Cæſaris litteras Septemvir Saxoniæ reſponderet: cum eis enim litteris ternos ad eum Legatos miſerat quæſituros, à Cæſare, an à Rege, tam ipſe, quam miles eius ſtaret. Ille ſolam ditionis propriæ defenſionem, reſpondit, conſilium dediſſe illius militaris delectus; quem ab ſe potuiſſe haberi arbitrabatur, citra omnem Cæſaris iniuriam vel offenſionem. Tillius potiùs offerre Cæſaris patrocinium & arma, perque tabellarios ac tubicines pacem amicitiamque identidem ſuadere. Fruſtra id tamen fuit: & quoniam ille videbatur iam cum Rege palam conſpirare; ideo Mersburgum ac Neumburgum Ciuitates ditionis eius præcipuas, atque ambas proprij Epiſcopi honore olim inſignes inuaſit Tillius; dein ad Lipſiam veniens, illicò cœpit obequitare propiùs, atque vrgere deditionem. Ciues haud ſe alienos ſimularunt; ſi vim tamen aliquam priùs experirentur, quæ rei neceſſitatem tempore ſuo apud Saxonem excuſaret. Diſpoſita itaque maiora tormenta poſtridie contra vrbem fuerunt; & Comes Tillius Magiſtratui ad deliberandum horam dixit. Dum is interim cunctatur, & ſpecie conſultandi ſup-

petias

petias promiſſas à Saxone opperitur: præſidiarij ſubditis ignibus ſuburbia incenderunt, multò ab ædibus, atque ab opibus præſtantiora, quàm ipſam Vrbem: in ea enim mercatores externi ſua conuehere, ibidemque proprias officinas exſtruere conſueuerant. Porrò hi audiebantur, inter eiulatus & lamenta, Tillianos grauiſſimè, tamquam incendiarios, criminari. Sed fraus deinde patuit, cum ex vallo præſidiarij explicarunt vexilla, & repēte magna vi aduerſus Tillij equitem ac peditem, exploſerunt: nam erant igni, vtique ab ſe iniecto, propiores multo, quam Tilliani; qui eum iuſſi reſtinguere, accedere, paluſtribus vijs prohibiti, nequiuerunt. Cæterùm quia ventum ad vim erat, Tilliani fodere noctu, atque aperire ſemitas, quibus defenſi ad foſſam, & ad hoſtium vallum irēt. Ciues propterea admoniti exemplo Magdeburgi, & exterriti cladis eius recēti recordatione, Vrbem Tillio dediderunt; ſoliq; ex præſidiariis ij māſerūt, qui Arcem deliberauerant tueri. Poſtera die nūciatur; Regis, Saxonis, & Brādeburgici copias omnes adeſſe, & numero quidem ſuperiores adeo, vt foret neceſſe, cuiuis vni ex Tillianis, ternos aut plures aggredi: nihilominus ad pugnam illi anhelare; ſoliti nimirum, causâ impetum in hoſte frangere,

gere, & virtute numerũ in eo aſpernari. Voluiſſet Tillius figere aggeres tormentarios, vallo ſuos munire, ac non niſi de caſtris pugnare: ſed eius conſilium ſenile ac prudens euertit alacritas nimia quorundam Tribunorum; qui eſſe proprium Cæſarei exercitus dixerunt, non expectare prælium, ſed ire obuiam, hoſtem prouocare atque adoriri. Itaque acie diſpoſita quęritur hoſtis, ac inuenitur quadrato etiam ipſe agmine, dum iam erat meridies. Præluditur initio velitationibus: dum interim equitem tubæ, tympana peditem vndique ad conflictum exſtimularent. Mox eum ſtrepitum excepit tormentorum fragor ac boatus, iaculátibus Regiis obliquè, atq; in decuſſim aduersùs Tillij equitatum, nec leui ſanè incommodo. Tum legiones Tillianæ peditum tres, Regias quatuor inuadunt fortiſſimè, diſſipant, fugantq́ue plurimis peremptis. Subinde quaternæ aliæ Tillij legiones quinas Regis aggrediuntur, tantoq́ue afficiunt damno; vt turmatim Regij partim caderẽt, partim fugerent abiectis armis. Dum hos tamen in fugam effuſos, ac præcipites Tilliani perſequũtur celeriùs, quàm par erat: longo ſenſim tractu ab equite diſiunguntur: & ex eo factum eſt, vt voluptas vincẽdi, quæ plerumque improuida eſt,

atque adeo ſecurior, quàm tutior, debuerit repentè alteram belli fortunam experiri. Etenim Tillius qui primam ducebat aciem, re animaduerſâ, & gnarus periculi, iuſſit quidem equitatum adproperare, ac peditatui tegere ſiniſtrum latus: ſed Succi palantes, & cum Cæſarianis dimicantes toto eò campi ſpatio (vt quique erant obuij, poſtquam deſeruerant ordinem) nuncios aut retardârunt, aut interemerunt. Tillius proinde, et ſi nulla ſtipatus cuſtodia prætoriæ cohortis ſuæ, quæ ante tempus ſpolia hoſtium legebat, ibat eò ipſemet, vt accerſeret equeſtres legiones. Cùm ecce Regij equites duo, eum conſpicati, adcurrunt; volensque alter in eius pectus explodere, quoniam ab igne deſtituitur, ſclopo alliſo, ſaltem capiti grauem ictum intentat: quem obiecto ſiniſtro brachio excepit Tillius, & renouauit acri admodum dolore cicatricem vulneris, olim eidem brachio impreſſi à Turcis in Pannonia: alter ſclopum à tergo in eum exonerans, thoracem flamma exuſſit, ſed glande corpus Tillij perſtrinxit potiùs, quàm penetrauit: nihilominus ex vulnere illico manauit ſanguis. Mox ſubmouerunt ambos, è Ducis Supremi corpore, Nobiles duo, qui comitabantur,

&

& cum quibus ad equitatū Tillius demum peruenit. Sed implicatum reperit difficili prælio: nam Equites Regij, vtrimque ſuccincti à proprijs ſclopetariis, impreſſione vehementi equites Tillianos fuerant aggreſſi, & dum dextera horum ala ſtrictis etiam gladiis ſtrenuè propulſat Regios, ala ſiniſtra, quæ in hoſtes procurrerat longiùs, fueratque ideo maioribus tormentis admodū quaſſata, poſtremùm à cuneo Regiorum equitum, & maximè à ſuccingentibus ſclopetariis tanta vi premi, atque vrgeri cœpit; vt cùm capeſſeret fugam vna eius legio, impreſſioni propinquior, ex ea re perturbati ordines fuerint, & prolapſæ, ſtatim quotquot ſupererant in ſiniſtra eadem ala Tillianorum equitum turmæ: Pappenhemio, qui præerat, nequicquam obeunte Ducis ſtrenui munia omnia: ſi quomodo reſtituere potuiſſet factam, à trecentis tantummodo ſclopetariis, ſubitam eiuſdem alæ ſiniſtræ inclinationem. Poſt hæc ala dextera, & ſi ſerius, etiam ipſa deſeruit ſtationem ſuam; ex eaque legio Cronebergij ad peditatum itura, quia in Tillium ſupremum Ducem incurrit, ſaucium ac doloribus excruciatum, Lipſiam, ex prælio eum reduxit. Interim eiuſdem Tillij pedeſtres copiæ equita-

Digitized by Google

tu proprio deſtitutæ, impetitæ verò ab equitatu hoſtili, nec amplius pares certamini, ſeruato ſemper ordine retroceſſerunt; & Regij fuerunt campi pariter ac victoriæ compotes : tametſi ex ijs plures multò, quàm ex Tillianis occubuerint in acie; dum pedeſtres legiones Tillij fortiſſimè rem gererent,& victoriam non inchoarent modò, ſed perpetuis horis quatuor cõtinuarẽt. Demùm Tillius audiens ex loco infelicis prælij diſperſam abire aciem, iuſſit proclamari, quonam cunctis eundum eſſet. Maior verò mœror, quàm trepidatiò abeuntium erat: etſi penderẽt ex corporibus multorum cæſi & conciſi artus, manarentque adhuc recenti cruore, vulneribus nondum procuratis. Quippè exercitus,anteà ſemper aſſuetus victorijs, tunc primùm alterã fortunã experiebatur; neſciebatque,an Tillius iam ſaucius, eſſet futurus vulneri ſuperſtes. Vlciſci enim & reparare gloriam ſtrenui, & veterani auebant maximè,ſuperati viribus, ſed non dum animis victi. Alberſtadij, viciniſque in Oppidis & pagis legionũ reliquiæ conuenerũt; cum quibus Comes Tillius, intuta itinera, & inſidias hoſtium deuitans, ad Mœnum venit; vt partim eius amnis alueo, partim ſuorum armis, ſiſteret ibi Regem victorem; ne ad damna Imperij

alia

Digitized by Google

alia progrederetur. Sed non ita multo poſt, dum Aſchaffenburgi cum Tribunis & Cẽturionibus agitat in re ancipiti conſilia; perferunrur ad eum litteræ, nũciãtque,Bohemiam totam à Septemuiro Saxoniæ ſubigi; & iam Pragam, vrbẽm totius Regni maximã, eſſe in illius poteſtate. Tum verò neceſſe habuit, poſthabitâ Imperij defenſione, tueri ſaltem Cæſaris & Bauari Septẽuiri patrimonia. Legiones itaque exercitus Cęſarei dimiſſæ ſunt,vt Auſtriã propugnarent: aliæ quæ ſpectabãt ad exercitum Confœderationis Catholicæ, etſi cunctis eius Principibus militabant, debuerunt Maximiliano,Supremo copiarum Duci,præ alijs præſidio eſſe. Interea Regi Guſtauo penitus viſcera Imperij patuerunt: nec hoſtis ei alius ſupererat, quàm qui arcibus includebatur. Venienti occurrit primùm Koningshouiana, à commeatu, à milite, à propugnaculis munitiſſima, in aditu ipſo Franciæ Orientalis: quæ tamen momento ceſſit Regi, tonanti ſolùm eloquio, nec vim aut eius armatam iram expectauit: quamobrem ignauiæ fœdæ infamiâ Præfectus eiuſdem arcis paſſim aſpergebatur. Indidẽ profectus Rex Herbipolim celeritate incredibili, tántùm non anteuertit ipſos nuncios deditæ munitionis Koningsho-

Digitized by Google

uianæ. Pauor, conſternatio, & fuga fuerunt prodromi aduentus eius: nam repente quique honeſtiores immigrarunt aliò, Vrbemque, lares, ſupellectilem hoſti reliquerunt. Attamen Arx ſita in iugo præalti montis, ſimul tutela Vrbis, ſimul Epiſcopi & Principis domus, reſſtitit militi eius; & in acceſſu complures ſuggredi temerè auſos peremit. Sed ſpreta eorum audacia accendebatur magis magiſque; ita vt demum fureret veriùs, quàm pugnaret. Eodem tempore alij prodiderunt arcem, Regiis ſecreto tramite per cliuum adductis. Hi portam illicò pandentes pirio puluere, aggrediuntur à tergo præſidiarios, dum propugnacula tuentur, ibidemque ſclopis, gladiis, ſecuribuſque eos trucidant. Poſt hæc inermes multi, & ex eis aliqui Religioſi, quotquot ſacellum, tamquam aſylum, adierant, fuerunt eiſdem ſecuribus occiſi; mulieres tamen ſuperfuerunt; ſed immanis lanienæ ſpectaculum eas ferme ſine vulnere ac ſine ferro exanimauit. Vrbe atque Arce Herbipolenſi potitus Guſtauus Rex, vincere in Mœno perrexit, donec Francofurtum, Vrbem amicam, ſed Cæſari ac Deo rebellem, peruenerit: vbi conſultauit de Mogũtia oppugnanda & de traijciendo Rheno.

Flu-

Digitized by Google

Fluuius hic alueo maximus, nec in eo tractu peruius ponte ullo, Ciuitas ipſa Caſtro defenſa, quod ſuaſu Ambroſij Spinolæ, in colle opportuno fuerat exſtructum, atque adeo Hiſpani milites, Vrbis & Caſtri propugnatores, difficilem expugnationem Guſtauo Regi reddebant. Certum habuit nihilominus rem tentare, ac fortunæ dudum blandienti auſus eſt fidere adeò; vt cum fruſtra ex aggere tormentario, fixo trans Rhenum, Moguntiam ab ſe quati experiretur, amnem ſuperius aliquanto traiecerit, cum paucis ipſemet, liberâ naui: excubitoremque tantũmodo exterruerit nomine Maieſtatis. Nam ex inopinato eum, claro die aggreſſus in ripa, ſubmittere arma non alijs coëgit artibus aut machinis, quàm quòd affirmauerit ſe Guſtauum Regem eſſe. Subinde aliæ ſolutæ naues, cis Rhenum appulſæ, copias eius expoſuerunt: cum Hiſpanorũ inſigni probro, qui vel vna equitum ala ripam cuſtodire, & impedire hoſtium exſcenſionem potuiſſent. Vbi verò Moguntiæ rumor percrebuit; Regem eſſe in ripa citeriore: iidem Hiſpani Vrbem deſeruerunt, atque inſuper magna ex parte eam in abitu ſpoliarunt: rati non tam Ciuibus, quàm hoſti venturo prędam auferri. Ceterum incolæ partim in fugam

effuſi

effuſi ſunt; partim ad ærumnas grauiores, ibi manſerunt: & Rex Ciuitatem ſui iuris fecit; pontemque illico in Rheno ſtrauit. Tum adductis maioribus tormentis, claſſem inſtruxit, vt Coloniam ſecundo flumine iret: nec ſanè impetum eius vis alia belli, atque armorum fregiſſet; præſertim ex quo Galli, accerſiti ab Electore Treuirenſi, regebãt Arcem Confluentinam: hæc enim ſola, vtpote munitiſſima, potuiſſet Regi & claſſi eius Rhenum claudere, omnemque prohibere tranſitum. Suſpenſa tamen expeditio fuit ab Regis Chriſtianiſſimi Oratoribus; ſeu deſiderio ſtationis militi proprio ſtabiliendæ in Ciuitate Colonienſi (quod diu optauerant ſuperiores eorum Reges) ſeu metu Regis externi, iàm nimium propè, hoc eſt in ripa quondam Gallica dominantis; cui videlicet tot proſpera circumfluere, haud æquis amplius oculis videbant. Nempè polliciti ſunt omnem operam, vt Coloniæ ſuaderent neutri parti fauere, nullaq; Cæſari ſuppeditare auxilia; perindè ac ſi extra omnem belli aleam ea Ciuitas eſſet. Succeſſu caruit tractatio; quia enormes erant conditiones, quibus Guſtauus Rex Vrbem reipſa ſibi vni obnoxiam quærebat, ſpecie petendi, vt neutro inclinarent animi. Attamen tempus tractationi datum, Colonien-

nienſibus ſaluti fuit; ſiquidem Rex interea, ebrius ea ſpe, aliò tranſtulit bellum; occupauit Wormatiam, & Spiram, plurimaque in Palatinatu oppida ſubegit; Bauariam inuaſit, multoſque in ea incendit pagos; vſque adeo vt Monachium etiam Principum ſedem victor intrauerit. Sedenim Ingolſtadium ibi, quemadmodum in Palatinatu Frankendalium, firmas ac munitas Vrbes, ex tædio diuturni obſidij, declinauit; vtpote qui feſtinare ad prædas, quàm ire ad victorias ſtabiles, & manſuras ſoleret. Dum hæc agerentur, vel non ita multo poſt, Comes Ioannes Tillius, in tibia periculoſe afflatus vapore globi maioris, vt qui adhuc defenſurus Bauariam adiret diſcrimina, deceſſerat è viuis: pietatis gloriâ, famâque rerum geſtarum perpetuò iturus ad poſteros. Vir enim fuit, quem felicitas ſemel dumtaxat, neſcio fatigata dixerim, an de illius virtute nimiùm ſecura, inter dimicandum deſeruit: vt propterea, ſemel tantùm victus, qui ſemper vicerat, nihilominus clarus & inclytus occubuerit. Non ideo tamen Imperatoris, aut Catholicæ cōfœderationis caſtra Ducibus carebant; quia reſtituerat Ferdinandus Cæſar belli ſupremum regimen Duci Fritlandiæ; & alterius exercitus, pro

Maximiliano Bauaro erat Legatus Comes Pappẽhemius. Ille conſcripto ingenti exercitu, Bohemiam, & Pragã imprimis, Vrbem Regiã recuperauit: poſtea cum Pappenhemio cœpit Guſtauum Regem inſectari; qui potitus Auguſta Vrbe prædiuite; ibi figere ſedem Regni ſtatuerat. Vniuerſam enim Europam ſibi velle ſubdere videbatur, fretus euentis ſecundiſſimis, atque eam indidem imperio regere, vaſto vir animo, & cui parẽ ægrè inueniſſes; niſi deſideraſſes in illo religionẽ & bonam cauſam. Auguſtâ Norimbergã conceſſit, habuitq; circa eam alteram Vrbẽ nobilem, atque opulentam copias omnes ſuas. Tunc eò aduenit cum proprijs legionibus Dux Fritlandiæ: caſtra loco propinquo & opportuno fixit; ſperauitque omnino futurum; vt vel Regem extraheret ad pugnam, vel cõficeret fame, aut ſaltem lue: quæ haud ita multo poſt graſſari & ſæuire in Ciuitate illa cœpit. Porro multis admirationi fuit, belli Ducem tam circumſpectũ aſtringi ſe permiſiſſe, & ferme claudi, intra Vrbis vnius anguſtos fines; ex qua nec poterat commodè molem belli dirigere, quod in Septentrione toto ex ipſius nutu gerebatur; nec accipere auxilia ſociorum; niſi conflarent illi exercitum valde copioſum. Sed & publica fuit expectatio pugnæ genera-

Digitized by Google

ralis ac decretoriæ , eratque cur Catholicis caſtris victoriam plurimi, non vouerent ſolùm, ſed etiam ominarentur : quia Dux Fritlandiæ intra vallum munitiſſimũ legiones habebat, cum propugnaculis,turribus,& caſtellis: vt nec internum, nec externum hoſtem metuere deberet, Regemq́; militum numero lõgè ſuperabat.Rex ideo auxiliares copias à fœderatis Principibus , nempe Saxoniæ Septemuiro,Haſſię Lãtgrauio,& Weymariẽſi Duce illuc ad ſe accerſiuit: eæq; Norimbergam peruenere : quia circumuallatio exercitus Cæſarei perpetua non erat, ſupererantque,inter ſtatiua legionum,ſpatia ingentia agri Norimbergenſis; vt non tantùm lixæ,calones,& nuncij poſſent vltro citroque commeare ; ſed poſſent pertranſire hoſtes , etiam cum acie inſtructa . Fuiſſet conſultius continuare aggeres , & vallum atque orbem abſoluere : ſed inſtruere ingentem eius ambitum neceſſario milite, arduum erat . Velitationes,& prædæ inuicem,actæ ſunt frequẽter mutuo damno: aliquoties congredi Rex voluit,& optaſſet de ſumma rei aperto in cãpo decernere: ſed quoties acceſſit toties ex Ducis Fritlandiæ munitiſſimis caſtris affectus eſt clade ſemper maiori; quàm clades fuerat ab eo Cæſareanis viciſſim illata. Fatendum eſt tamen, fuiſſe pugna-

 tum

tum vtrimque fortiſſimè; deſideratis in repetito identidem conflictu, non legionariis modo iiſque veteranis ac ſtrenuis magno numero, ſed Centurionibus & Tribunis. Inter quos clarum nomen fuit Marius Carafa Chiliarcha Cæſareus, & ſeptingentos equites in prælia ducens, qui pro Religione ac pro Cæſare ſanguinem ac vitam fudit, gloriosè tunc aduerſùs Regem & eius legiones dimicãdo. Imo adierũt vitę diſcrimẽ ipſimẽt ſupremi Duces: nam Fritlando equus proprius globo maioris tormenti extinctus eſt tunc in prælio; & Regi plumbea grandine excuſsâ è ſclopis Cæſarianorum, non ſemel cuſtodes corporis, & armigeri ad latus fuerunt perempti. Tandem cum incõmoda quotidie augerentur, minueretur verò ſpes adigẽdi Cæſarianos, vt deſererent ſtationem in qua vinci non poterant, deliberauit Rex conclamare vaſa & abire Norimberga, vt alibi ſaltem eos libero campo adoriretur. Sua pariter mouit caſtra Dux Fritlandiæ, & quia cum hiems appeteret, ſtatuerat militi in ditione hoſtili aſſignare hiberna, ideo præmiſſis legatis Olka & Galaſſio cum parte copiarum, proſecutus eſt cum exercitu reliquo, Vortlandiamque vniuerſam ac Miſniam, ſi Dreſdam excipias, occupauit. Hæc Ciuitas Septem-

tem-

Digitized by Google

temuiri Saxoniæ ſedes eſt, quem hoc pacto Dux Fritlandiæ rebatur aut induci poſſe ad obſequij reuerentiam erga Ferdinandum Cæſarem, aut pertinacem in perduellione puniri. Sed enim Guſtauus Rex, ſuam fidem, ſuamq́ue expectari opem intelligens à præcipuo Adiutore, & à Principe inter fœderatos alios ſummę tum potentię tum dignationis; certum habuit, præſto eſſe quantocius ac tentare omnia, vt à diſcrimine præſentiſſimo eum eximeret. Idcirco mutauit conſilium, quod inierat hiberna quærendi, aut in Bauaria, aut in ditione Tirolenſi, aut in Alſatia, aut in ea Sueuiæ parte, quæ paret ac ſubeſt Auſtriacis, cœpitq́; ſeriò Miſniam cogitare, Saxonem & populares eius liberaturus. Vti verò prudentiâ valuit imprimis, hebetare hoſtem, ac minuere illius vires prius conatus eſt, vt imparem aggrederetur, certiusq́ue conficeret. Proinde Arnhemio, qui duodena peditum millia, & quatuor millia equitum ſub ſignis Septemviri Saxoniæ numerabat, ſuaſit; Sileſiam inuaderet eamque regionem omnem perturbaret: quò ita Dux Fritlandiæ iuſtum exercitum illuc deſtinaret, cauſâ iniuriæ propulſandæ; nec aliter ceſſit; quia Sileſianam eam expeditionem Dux Fritlandiæ ſtatim Galaſſio demandauit. Batauos etiam proritare ad-
uerſus

uerſus Colonienſes ea ſpe ſtuduit; vt deuocaretur propterea Comes Pappẽhemius ad Rhenum, nec iungerentur Duci Fritlandiæ legiones illius. Has tamen ad ſe migrare, & in Thuringiam venire Dux maluit; vt retunderet iis auxiliis, aut ſaltem eluderet Regis conatus atque conſilia. Rex itaque cum promptiſſimis & lectiſſimis, quos habere potuerat, citra ordinarij præſidij detrimentum, ex Arcibus Alſatiæ, Palatinatus, & Oriẽtalis Franciæ; cum Ducis Luneburgi, & Baudiſij copijs, quæ ad Thuringiæ limites expectauerant aduentum eius: ac præcipuè cum duabus legionibus flaua & cærulea, quibus Europam vniuerſam ſe expugnaturum iactabat; & cum tribus millibus equitum, inferre bellum voluiſſet ad Erfurtum ſoli Pappenhemio, ibi tum agenti, niſi Dux Fritlandiæ Hallam, eum adproperare iuſſiſſet, atque adeſſe propius: Regem enim aduentãtem Dux ad Lipſiam decreuerat opperiri. Alioqui Pappenhemius auebat maximè conferre ſigna, & in partem victoriæ neminem habere; ratus ſummã fore gloriã, ſi ſolus & copiarum numero impar vinceret: contra excuſandum ſe, ſi ſuccumberet, ac futurũ in promptu nouũ exercitũ, qui Regem, victorem quidem, ſed certamine ipſo (in quo multi debuiſ-
ſent

ſent cadere) debilitatum felicius exciperet rurſus,ac profligaret.Rex tãdem Weymariã,Haumburgum, & Lutzen peruenit, ibique acie diſpoſita,progreſſus eſt ad vnũ adhuc milliare,verſus Lipſiam, quæ altero milliari aberat; & Duci Fritlandiæ per tubicinem obtulit præliũ.Dux ea ipſa die, nempe 15. Nouẽbris,tum Hallam tabellarios miſit,qui Comitem Pappẽhemium accerſerent;tum præſidiariis conſtitutis partim in Vrbe, partim in arce Lipſiana, in campo ſtetit agmine quadrato. Sed quia ea belli denunciatio pariter ac præparatio fiebat cadente iam die; noctem in vtroque exercitu exegit miles obtinens ordinẽ,nec anhelans magis ad lucẽ, quam ad ipſum præliũ.Obtigit verò id percõmodè;quia nocte eadem Comiti Pappenhemio ſpaciũ fuit adueniędi, cùm ter mille ſaltem equitibus: quandoquidem ſequebãtur tardius pedeſtres eius legiones. Exortus manè ſol & dies, vidit in conſpectu mutuo vtramque aciem, eratque mira omnium alacritas: quippe cum locus ipſe ſpem Regijs nouæ victoriæ, Cæſarianis vltionis generoſæ ſuppeditaret. Pugnæ igitur tormenta præluſerũt, maiore tamẽ ſtrepitu,quàm damno.Mox legiones ipſę cõcurrerũt ſummo cum ardore,ductante primam aciem, hinc

hinc Rege Guſtauo, cum tribus millibus equitũ, & cum Prætorianis legionibus flaua, cyaneaque, illinc Comite Pappenhemio, cum equitibus bis millenis, & cum legionibus peditum veteranorũ. Pappenhemius, cum ſuo equitatu, cyaneam legionem, ſitam ad Regis ipſius lęuam, eo impetu inuaſit; vt tametſi ea repugnaret perquam acriter, prope iam nihilominus fatiſceret, nec eſſet ſuſtinendæ impreſſioni. Opem tulerunt hinc Regij, illinc Baudiſiani equites, & Comes Pappenhemius paulum flexit, vt veluti renouato impetu validius legionem eandem quaſſaret. Tum vero ex ea hoſtium parte, librato ictu colubrinæ, quã vocãt, tactus circa pręcordia fuit ipſemet Comes Pappẽhemius, & ex proprio equo Dux fortiſſimus, manibus ſuorũ elatus ad impedimẽta, curru verſus Lipſiã auectus eſt adhuc ſpirãs, ſeq; ſuãq; mentẽ Virgini Deiparæ ac Diuis tutelaribus piè admodum commendans. Itaque in his precibus, Vir immortalis famæ, nominiſque æterni, dum adhuc in via erat, & in curru, in quo triũphare meruerat, defecit. Senſit verò ſtatim iacturam proprius illius peditatus, nam veluti exanimatus, ægrè obtinuit ordinem: & niſi pedeſtres copiæ ſubmouiſſent hoſtem, incommodaſſet magnopere vniuerſo exercitui.

citui. Rex interea equitatu ſuo fatigabat vehementer Cæſarianos, tam pedites, quam cathaphractos: & tum feruēte admodum prælio, vti inter primos erat, ſuoſque præſentia cōfirmabat egregiè, ab vno è muſquetarijs glande traiectus eſt in ea brachij dexteri parte, qua brachiū ipſum armo innectitur. Senſit ille vulnus, ſuosq; adhortās vt pergerēt ſtrenuè, aliquantulum retroceſsit: Regemq; ſecuti ſunt equites potiores. Ea res à Cæſarianis animaduerſa tantum addidit momenti ad victoriam, vt ſine mora illius compotes euaſerint. Siquidem cataphracti, & peculiariter Tribuni Piccolominei equites tanta vi ſunt aggreſſi equitatum Regium: vt cùm eorum plerique iam receptui dederent ſe, atque adeo quiſque videretur certatim Regem periculo eripere velle, facile fuerit ſtragem eorum edere. Simul verò Rex adhuc ſclopi minoris glādē in femore accepit, & ex eo altero vulnere occubuit inter brachia Frāciſci Alberti Dynaſtæ Lauemburgi. Dignus enimuero, qui manu potius Herois alicuius, quam militis vnius aut alterius obſcuri & gregarij caderet: niſi eius famam apud poſteros belli ſuſcepti cauſa iniquiſſima multo adhuc obſcuriorem redderet. Momento eodem cepta eſt vtraq; legio flaua ac cærulea, ab exercitus

Gg Cæſa-

Cæſarei tam pedite, quàm equite vrgeri vehemētiſſimè: tamen cum incredibili conſtantia, tametſi Regem & eum quidem ſtrenuū atq; magnanimum amiſerat, reluctari viſa eſt; donec ſinguli locum tegerent moriendo, quem occupauerant pugnando, & penes propria arma, nec variato vſpiam ordine, proſternerentur: adeo in eis nō malè Guſtauus Rex collocauerat ſpem ſuam. Cęterū deleuiſſe has fortiſſimas legiones, exercitui Cæſareo ſtetit labore ac niſu magno: nam ſæpius conſeruerunt cum eis manus, in vices reuerſæ ad aciem, legiones ſingulæ Cæſarianorum: adeo vt vna pedeſtris legio Tribuni Piccolominei ſepties aduersū eas dimicarit. Cùm demū primę iam tenebræ appeterent; hoſtes, qui etiam ſublato Rege, militari ſemper ordine in pugna ſteterant, ſenſim abſque agminum confuſione receperunt ſe: id verò conſpicati Cæſariani ægrè ac vix à Tribunis, intra propria ſigna contineri potuerunt: quoniam auebant maximè conſectari eos recedentes, & victoriam abſoluere, quàm propitio Numine inchoauerant. Sedenim Dux Fritlandiæ tenebris fidere, & nocti, quę tegit ſæpenumero inſidias, periculoſum exiſtimans, maluit receptui caneretur: quocirca Lipſiam copias ſuas, victoriæ compos, reduxit. Deſiderati, ex Cæſarianis in

hoc prelio Comes Pappenhemius,tres legionum Tribuni, quatuor eorũ legati, quadraginta partim ductores equitum, partim centuriones, & militũ ad tria millia: læſi verò magno numero, etiam primores exercitus: ipſe Dux Fritlãdiæ (perſtrictus in manu) Tribuni, & Centuriones; quos inter Piccolomineus ſenis muſquetri globis tactus, etſi à nullo læthaliter. Ex hoſtibus occiſi Guſtauus Rex, pluresq; tam Tribuni quàm Centuriones, tam legionarij pedites quàm equites: perdita verò vexilla ſexaginta. Poſtridie cũ Aurorâ ad locũ pugnæ peruenerũt Comitis Pappẽhemij pedeſtres legiones, Comite Merodio Duce: & grauiſſimè indoluerũt ob Herois ſui interitũ; nam ſaltem adeſſe in prælio, & vlciſci eum optaſſent. Sanè ſi interfuiſſent, magnum acceſſiſſet momentũ exercitui Cæſareo; & fortaſſe hoſtium exercitus vniuerſus deleri potuiſſet. Legerunt ſpolia, in campo cadaueribus conſtrato, & relicta ibidem tormenta vtriuſque partis Lipſiam inuexerunt: atque hoc eſt alterum memorabile prælium, cõmiſſum in Lipſiẽſi agro: quẽ bis irrigaſſe vbertim humano ſanguine, Regi Guſtauo ſtetit demũ ſanguine proprio, ceſſitq; ad meſſem priori longè diſſimilem: nam elatus ad funus hac vice fuit ex campo, ex quo

Digitized by Google

aliàs exiuiſſe videbatur ad triumphũ. Ingens ex eõ ſucceſſu vbique fuit Catholicorum lætitia, interq; luſus varios, temporis notá referẽtes, placuit ille imprimis; G VſtaVVs CaDIt IMperat AVgVſtVs Omnes verò in hanc ſpem venerant: quia ſi, vt luſit Alter,

ReX sVeCVs noſtras VIVẽDo perDiDerat res.

credebant id futurum omnino, quod prænuntiatur in luſu ſimili, nempe

Rex SVeCVs noſtras MorIVndo reſtItVet res.

Attamen Hæreſis & Rebellio, quia monſtra ſunt gubernationis, quà ſacræ, quà laicæ, vno auulſo capite, illico capita & cornua plurima in Cælum & in Cæſarem extulerunt: molemq́ue belli maximi, quod omnem fere vaſtiſſimam regionem oræ ſeptẽtrionarię concutere, & collidere adhuc videtur, ſuſtentarunt atque adminiſtrarunt æquali tum potentiâ, tum prouidentiâ. In Alſatia atque Bauaria non modò Bauari Septemuiri opes, ſed ſocia etiam arma Regis Catholici, nouumq́ue eius, & florentem exercitum, ex Inſubria miſſum, aut afflixerunt, aut contempſerunt. In inferiore Saxoniâ omnia ferè ſui iuris fecerunt, ferẽtemq́ue auxilia & cõmeatum Hameliæ diù obſeſſæ, & cõſtãter à Catholicis præſidiariis defenſæ, Comitem Me-

Digitized by Google

Merodium cum nouo exercitu, ijdem collatis ſignis in ipſo acceſſu profligarunt, Merodio traiecto; qui paulò poſt dux & miles egregius, ex vulneribus ibi acceptis, obijt. Cadere ideò Hamelia debuit, præcipua illius regionis munitio; & ſicut in poteſtate hoſtium iam erat Epiſcopatus Paderbornenſis; ita mox acceſſit Epiſcopatus alter Oſnaburgenſis: illo enim Haſſiæ Lantgrauius, hoc Dux Luneburgicus potiti fuerunt. Sed & Hildeſium à menſe iam vndecimo premunt obſidione pertinaci: minanturque Monaſterio, quod vnicum Weſtphaliæ afflictæ præſidium & munimentum ſupereſt, ad ſolatium potiùs, quàm ad refugium Catholicorum: nam emigrare nuper, metu obſidionis imminentis, iuſſi ſunt; quotquot in ciuitate, ex priuata annona, & domeſtico penu ſe annum alere non poſſent. In Sileſia nihilominus erant potiſſimæ hoſtium pariter ac Cæſarianorum copiæ; ſed æſtate tota ceſſarunt ibidem arma; dum agitarentur conſilia, & de pace cum Septemuiris Saxone ac Brandeburgico tractaretur. Tempus elabebatur interim rei bene gerendæ: erantque non inutilia tantummodo, ſed damnoſa, ea quæ Dux Fritlandiæ ſubmiſerat auxilia Septemuiro Bauariæ: nam his, qui ductabant

bant

bant aciem Cæſarianorum,ſeuerè Dux iniũxerat, abſtinerent ab omni cõgreſſu,aut pugna cum hoſte; niſi ab ſe fieret poteſtas dimicandi. Prudẽtiæ hoc tribuebant aliqui,& interpretabantur ita præcipi; ne ſi foret prælij neceſſitas in Sileſia,deleto(vt eſt incerta belli alea)Cæſareo ibi exercitu, deeſſet alter exercitus,qui hoſti reluctaretur,ac res labẽtes Imperij ſuſtẽtaret. Alij potius opinabãtur,proficiſci ea mandata ex occulto atque impotenti odio; quo ſi minus ab hoſte,ſaltem à ſuis deſtrui ſenſim Maximiliani Bauari opes peroptabat : hoc pacto vlturus procuratam in primis ab eo, & à Ferdinando fratre Colonienſi Septemuiro, ſui ipſius exauctorationem,in Comitiis Ratisbonæ. Damnũ quidem erat certũ ,quod tum Bauaro ac ditioni eius inferebatur ſanè maximum : quia Dux,de induſtria milites eò miſerat, expertes omnis diſciplinæ ; qui licentia atque libidine prædandi populandiq́ue pluſquàm hoſtes, in pagis oppidiſq́ue Bauariæ animos omnium abalienauerant adeo iniurijs aſſiduis ; vt alicubi populares exacerbati ſtrinxerint contra eos arma, malueríntq́ue aut perire, aut perimere, quàm à ſocijs & ab auxiliaribus ea pati, quæ ab hoſtibus nonniſi ſuperati, & vtique perituri, pati debuiſſent. Attamẽ haud ita certum erat, hanc à Duce Fritlá-

diæ vltionem peti; ſiquidem ſaluas eſſe res Imperij cuperet: etenim Bauari potẽtiam extenuare, hoc erat profectò exarmare Imperatoris brachiũ: quo nimirũ brachio & Bohemica ſeditio ad initia belli repreſſa eſt, & tot aliæ felices expeditiones à Comite Ioãne Tillio, ſupremo eius Legato, obitę fuerãt. Vt nihil dicam, quantũ Imperatori deceſſiſſet & honoris, & roboris; ſi Bauarus ab ipſo defeciſſet, iuxta conſiliũ aliquoties datum, neutro inclinãdi ſtudia: vt ſua tueretur interim, ac in tranquillo ageret; dum in Imperio fœdam tẽpeſtatem Catholici Principes alij experiebãtur. Sed de Fritlandię Duce auctæ ſunt ſuſpiciones; æſtate exeũte abſque vllo ſuceſſu pacis: in qua ęſtate pugnare & vincere ex multorum ſententia potuiſſet: iamque incipiebat traduci paſſim, ob ſecretas colluſiones cũ Arnhemio Septẽuiri Saxonis Legato; cum hãc eius infamiam aliquantulum deterſit, aut mitigauit felicior, quã fortior victoria Sileſiana: in qua hoſtes ſine cruore capti, receptæ arces, & trãſcriptę ad Cęſaris vexilla eorum potiſſimę legiones. At circumacto ſterili anno, ferme ſine omni vſu exercitus potentiſſimi, ſerio actũ eſt Viennæ, id vrgente imprimis Hiſpano Rege; vt Rex Pannoniæ Bohemiæque caſtris Cæſareis pręficeretur: ſeu iam ibi habe-

haberetur comperta Ducis Fritlãdiæ proditio; ſeu foret ſaltem perſuaſio;Rege ipſo ad expeditiones bellicas eunte, maiorem in caſtris alacritatem (in qua eſt ſæpenumero initium victoriæ) deinceps futuram. Miſſus ideo ad Ducem eſt Vienna Religioſus Vir Capucinus, natione Hiſpanus, & quem Pãnoniæ Regina habet à ſacris cõfeſſionibus; perſuaſurus, vt daret conſenſum, atque æqui boni conſuleret, deinceps ab Rege ſummam rei bellicæ adminiſtrari. Ille contra negauit id factu pronum eſſe, vtque inuidiam ab ſe amoliretur, rem ad Tribunos ac Centuriones ſuos referens, dixit eos deliberaſſe, alio Duce Cęſari non militare. Atque adeo reipſa iubens accerſiri, quos interea penes ſe atque in obſequiis habebat, Centuriones ac Tribunos, de ipſorum ore audiri ſuffragium voluit. Tum verò data eſt occaſio penitùs perſpiciendi eius marcidum ambitione animum; & ſenſim patuit fœda proditio,cruentumque & execrabile, quod meditabatur, Auſtriacæ domûs excidium. Nimirum Imperium Cæſari, & Regi Regnum Bohemiæ, vtrique verò vitam & ditiones hęreditarias adimere,ingratior an crudelior;ſtatuerat. Bauarum item, Saxonem & Brandeburgicum è medio tollere: quorum potentiam debuiſſet vtique, im-

immaniſſimi compos voti, aliquando metuere. Ideo ſceleris, & fœderis conſcios deſignauerat, eorum loco, Imperij Dynaſtas: nempe ipſe iam ſpe nouus Bohemiæ Rex, & nouus Auſtriæ Archidux, creauerat Bernardum Weymarienſem Electorem Saxonum; Franciſcum Albertum Lawenburgicum Electorem Brandeburgi; Arnhemium Pomeraniæ; Terſcham Morauiæ, & alios ditionũ aliarum Principes: atque hæc Pilſnæ Bohemię oppido fuerant deliberata, vbi Prætorium & hiberna hoc anno fuerãt. Deuocati ad eam Vrbem vndique Tribuni ſunt, ſpecie deliberandi de nouis expeditionibus, vbi remitteret gelu, ac deſęuiret hiems: ſed pertentandi reipſa erant animi, an per Ferdinandi Cæſaris, totiusque ſtirpis eius Auguſtiſſimæ cadauera, Ducem ipſum Fritlandiæ ad Bohemię regnum vellent euehere. Terſcha, Kinski, Illo & Schafcotius fuerunt ſuaſores præcipui defectionis à Cæſare; ac parricidij facinus Tribunis alijs propoſuerunt, conati quà truculentis minis, quà inſanis pollicitationibus eos inducere, vt fidẽ Cęſari ac Deo ſanctè iuratam, Duci Fritlãdiæ, cruẽtæq; ambitioni eius ſacrilegè proſtituerent. Tres in exercitu primi habebantur, quibus communicare quidem eiuſmodi conſilia

Hh peri-

periculoſum videbatur ; ſed cenſebatur etiam pertinere ad ſummam rei, perſuaſionem eis eandem facere. Hi erant Galaſſus, qui in Sileſia, Aldringerus, qui in ſuperiore Auſtria militaribus copijs Legati præerant,& Piccolomineus: omnes ingenio & manu prōpti,ac ſummę ergaCęſarē fidei, Solus Pilſnam venit Piccolomineus , & vbi à Terſcha, Kinſski , atque Illo gnarus conſpirationis eſt factus;exhorruit ſtatim,eamque vti barbaram & trucem, ſeque nobili Viro ſtrenuoq; indignam,execratus eſt. Quocirca illi mollioribus vſi ſermonibus , rem colorare aliter, ac mitiùs proponere;imprimis verò queri;à Cæſare Ducem Fritlandiæ propemodum deſeri ; foueri aliquos illius aduerſarios Viennæ in ſecretiore Senatu ; quibuſdam inſuper Tribunis , illo inuito, in caſtris continuari magiſtratum : denique non permitti , vt belli moles ab eo,ſicuti antea , pro poteſtate adminiſtretur . Anxius animi Piccolomineus ex alloquio abiit, & ſibi conſcio,nec probāti proditionem,cœpit haud ſanè temerè,à proditore , qui erat ſimul ſummæ ſęuitiæ, ac ſummæ potētiæ,exempla extrema metuere. Cũ ecce ad eũ, ipſa illius diei nocte iam adultâ vocatur : ac tenebras inſidiis ſtruendis , & facinori patrando

eſſe

eſſe idoneas ratus, credidit quidem ſe ad mortem acciri; ſed deliberato interitu fortior, ne inultus moreretur, breuem ſclopum pirio puluere & plumbea glande inſtructum occultauit ſago, cũ eoq; ad Ducem intrauit, haud ſegnis vtique moriturus. Sed quia facilem aditum expertus, & vultum amicum; diſſimulando etiam ipſe ſtatuit eludere fraudem, atque interim penitùs conſilia Ducis explorare. Ille animum Piccolominei obſtrictum ſibi eſſe ratus, coniurationem aperuit; ſpopondit, ſe ad præmia eò fore proniorem aptioremque, quò eſſet compos fortunæ maioris: præcipuè verò iniunxit ad Galaſſum primò, deinde ad Aldringerum iret: & vel in cõiurationis ſocietatem ambos traheret; vel alterum Pilſnam mitteret, alterum in Auſtriæ hibernis circumueniret. Lætus imprimis Piccolomineus, quoniam inſidias euadere, ac exire in libertatem licuerat; egreſſuſque Vrbe, nihil habuit prius aut potius; quàm vt Ferdinando Cæſari facinus indicaret, ac diſcrimen grande Auſtriacæ Domus illi confeſtim exponeret. Mox Galaſſum conueniens, de ſcelere immani opprimendo, atque vlciſcendo vnà deliberat: nec alia mens Aldringero fuit; vbi gnarus ab eo barbaræ con-

ſpirationis factus eſt. Intra breue tempus decernitur Viennæ Ducis Fritlandiæ proſcriptio : Tribuni & Centuriones, & Legionarij vtriuſque exercitus, quorum alter in Sileſia, & alter in Auſtria hibernabat, in fide Cæſaris confirmantur: anteuertitur imminens periculum incendij Viennenſis, ac cædes ipſa Cæſaris, omniumque Auſtriacorum: cui Dux Fritlandiæ diem dixerat; atque indicuntur ideo perpetuæ noctu ibidem excubiæ. Praga etiã caput Regni Bohemię, quod ambierat Dux, præſidio munitur. Cæterum ſenſim re patefactâ Dux Fritlãdiæ Pilſnâ Egram migrauit anxius animi; & tunc Leſlæum ipſe, Cordonum Terſcka, honoris cauſa obuios, vſque ad ſecundum ab ea Vrbe lapidem (nam Vrbi præerant) de initâ coniuratione certiores in via fecerunt. Diſſimularunt illi, verbiſque probarunt facinus, quod toto penitus animo execrabantur, etſi natione Scoti, & Secta Caluiniani ambo erant. Noctu autem cum Putlero equitum Tribuno ac natione Hiberno, ſed Catholico, rem communicant : ac deliberant ſanctè, nixi genibus, gladijsque diſtrictis & ad pectora inuicem admotis, atque adeò interpoſito iureiurando, ſe Ducem, & alios Auctores tam fœdę coniurationis neci daturos, atque Auguſtiſſimam

ſtir-

Digitized by Google

ſtirpem Auſtriacorum cùm Imperio ac Religione, ex præcipitio illo tam propinquo aſpirãte Numine, liberaturos. Triduo poſt Leſlæus, re diſpoſitâ, in Arcem ad cœnam Terſckam, Illo, Khinſchy & Neuman inuitat: & ibi eos, cum ad bellaria ventum eſt, delecti aliquot Hiberni, teſſerâ datâ, in cœnaculo ipſo trucidârunt. Nec patuit foris cædes, arce nimirum clausâ, & cuſtoditâ; cuius penes ſe claues Leſlæus attinuerat, ne mors eorum emanaret; priuſquam ipſe Dux Fritlandiæ perimeretur. Ebroxio Cẽturioni, & vicenis legionarijs natione Hibernis, cædes Ducis demandatur; Leſlæo & Cordono, & Putlero Vrbis excubias, & militem, tam in foro, quàm extra mœnia hortantibus; vt Sacramẽti memores, ſtarẽt in acie aduerſus coniuratos, fidemque Deo & Cæſari ſeruarent. Ebroxius cum ſatellitio ſuo, armatus bipenni, in Ædes Ducis Fritlandiæ irrumpit; adit conclaue ipſum; cuſtodes partim territat, partim cædit: intrat; & ex cubili exſilientem in interula, cum facinoris exprobatione per medium pectus traijcit nihil loquentem; ſeu conſcientiâ ſceleris, ſeu ex inopinato ingruens vltima neceſſitas vocem, ante animam, Viro ademerit; qui comitem magnę fortunę virtutem perpetuò retinere nõ potuerat. Atque hic

hic exitus fuit Alberti Walſteynij Fritlandiæ Ducis, verè in altum ſublati, vt grauiore lapſu rueret, & qui ſummos Principes erudire poſſit, ne maximam potentiam, vniuerſamque dominationem vni permittant, neue potentiam eandem reſtituant habenti vulneratum animum; niſi iram, quæ eſt furori proxima, exiſtiment metui non debere, cum ea deintegro armatur. Certè exacerbato ſemper pectore Ducem fuiſſe, ex quo tempore exautoratus eſt Ratisbonæ, multi crediderunt, & à vindictæ propoſito nunquam reſpiraſſe: donec conceptum diu virus euomuit, cœpitq; ordinare coniurationẽ, cui parem aliã & adęque triſtem ac luctuoſam ſæcula proxima non audiuerunt. Capti aliquot primarij Duces & Tribuni, ac Viennam perducti, vt coniurationis comperti puniantur: dataq; ijs præmia, qui & coniuratos peremerunt, & exercitum continuêre in Cæſaris fide atque obſequio. Quod verò diu expetebatur, Rex Pannoniæ Bohemiæq; copiarũ omniũ ſupremus Dux renunciatus eſt, & ad caſtra profectus, exercitum luſtrauit, atque adeo votis millenis omnium illorũ, qui Rempublicam, & cum ea veram Religionem ſaluam volunt, auſpicatus eſt bellicam expeditionem; ex qua cuncti apprecan-

cantur ei lauream vltimi triumphi, diuque mãſutam in Imperio tranquillitatem. Auſpicatus eſt verò belli regimen, tum à profeſſione pietatis erga Deum, cui Æterno Duci Chriſtianorum exercituum in caſtris militat, tùm à militaris diſciplinæ ſeueriore quodam ſtudio, latis æquiſſimis legibus, vt publicæ iniuriæ, præſertim quacumque legiones tranſeunt, prohibeantur. Diſpenſatis autem copijs, & iuſto exercitu in Sileſiæ cuſtodiam relicto, ipſe cum tricenis millibus bellatorum in Palatinatum Superiorem venit, acceſſitque Ratisbonam. Ea vrbs ab hoſtibus ſuperiore anno capta, nouisque & firmiſſimis munita operibus, recenter etiam, ante aduentum Regis Pannoniæ Bohemięq; aucta fuerat præſidio & commeatu à Dynaſta Weymarienſi: Jam verò à Bauarię Septemuiro, & ab Aldringero cœpta erat oppugnari, urgerique ad deditionem: cùm interſit planè, in poteſtate habere Ciuitatem in Danubio ſitam; & quę incõmodare plurimũ poſſit ditioni finitimę, tum Cęſaris, tum Bauari; niſi hoſtibus domitis recuperetur. Pręſentia Regis & Dynaſtę Weymarienſi metum incuſſit (ex quo metu traiecit ille Danubium cum copijs ſuis, ſeceſſitque in agrum Norimbergen ſem-

Wert, illataque ei clade conſilium initum abruperunt. Maior fuit vis & conatus Septemuiri Saxoniæ, & Arnhemij eius Legati, qui Coloredi & Maradæ copias coaſpernati, Bohemiam cum infeſto exercitu intrarunt: vtpote rati Regem Pānoniæ atque Bohemiæ haud poſthabiturum vni Ciuitati Regnum, ſed confeſtim eò arma tranſlaturum ex Danubio. Praga ipſa hoſtium iam in conſpectu erat, & actæ ibi ſunt velitationes; in quibus promiſſa Vrbis direptio auxerat magnopere in hoſtibus alacritatem. Sed Cæſariani, muniti vallo & aggere in Monte albo, ac iaculantes aſſiduè maioribus machinis, coëgere hoſtes vt retrocederent; poſt illatam eis cladem, in qua mille octingentos ſtrauerunt: cum defenſi ſtatione illa tam opportuna, dumtaxat deſideraſſent è ſuis quinquagenos. Interea poſt frequentes eruptiones, & aſſultus cadere Ratisbona demum, ac dedere ſe Regi Pannoniæ debuit; qui eam vi & conſtantia domitam ingreſſus eſt IV. Cal. Auguſti. Poſtquam præſidiarij cum armis & impedimentis ex ea emigrauerant, Ciues verò deprecati perfidiam, obtinuerant priſca priuilegia in his quæ ad libertatem ſpectant, aut ad Religionem. Sed & ea illis conditio adpromiſſa eſt, vt nōniſi ex Cæ-

Digitized by Google

ſareo exercitu delecti milites deinceps ſint in tutela & præſidio eius. Sic magno Catholicorum gaudio prima exercitus Regij remora ex initio curſu præliorum eius reuulſa eſt, & proſequi Rex potuit inchoatam Danubij liberationem. Certè haud ita multo poſt, expugnauit in monte Schelenberg, Suecorū maiora caſtra, mille & quingētis eorum datis interneccioni; ac mox Donauerdam, deſperantem auxilia, etſi alioqui munitam vrbem, deditione facta, Cæſarei iuris fecit. Iam Danubio ſuperato, ad alias expeditiones Mœni ac Rheni, omnium ſpes & vota, ſed & propria virtus atq. alacritas Regem eundem inuitant. Quocirca mihi etiā propterea ominari licet futurum, vt pars Catholicorum, quæ dum Sanctiſſimus Dnūs Noſter Vrbanus Pontifex aſſumeretur ad ſummum Eccleſiæ totius Principatum, eo ipſo die hoſtes fidei atq. Imperij memorabili prælio vincebat, iam demū, ſedente adhuc eodem Sanctiſſimo, victoriam de ijſdem obtineat abſolutam & prodromam vltimi triumphi.

Antequā abſoluam, adijcio ſyllabū Eccleſiaſticorum Principum huius Legationis. Primus in cenſu eſto Anſelmus Caſimirus à Wambolt, Imperij Archicancellarius in Germania, Vir eloquens

quens,& ad negotia peridoneus, in his verò Germaniæ diſſidijs, Auſtriacæ Domus, & Hiſpani Regis perſtudioſus. Eſt Moguntiæ Archiepiſcopus & Elector, ſed nondum Sacerdos aut Antiſtes inauguratus.

Ferdinandus Bauarus Imperij Archicancellarius in Italia, Coloniȩ Archiepiſcopus & Elector, Hildeshimenſis, Leodienſis, Monaſterienſis, & Paderbornenſis Epiſcopus, nec ipſe tamen inauguratus, eſt Germanus frater Maximiliani Septemuiri Bauariæ, grauitate morum, profeſſione pietatis, & ingenij maturitate nulli ſecundus, & Domui Auſtriacæ apprimè addictus.

Philippus Chriſtophorus Zoteren Imperij Archicancellarius in Gallia & Regno Arelatenſi, eſt Treuirorum Archiprȩſul atque Elector,atque inſuper Epiſcopus Spirenſis, ſupremusq́ue ibidem Prætorij Cæſarei Iudex.Ingenij magni Vir, concordiam cum primoribus Cleri deſiderat. Neque cum alijs Catholicis Electoribus eadem aut conſilia inire, aut ſubire diſcrimina voluit; ſed potius duxit Regis Chriſtianiſſimi armis & patrocinio tutari regionem, Eidemq́ue Regi Vrbem Treuirenſem, & arcem Confluentinam tradidit cuſtodiendas.

Gulielmus Leopoldus Archidux Auſtriȩ,ac Cȩ-

ſaris filius eſt Archiepiſcopus Magdeburgi, & Primas Germaniæ, item Archiepiſcopus Bremẽſis, & Epiſcopus Argentinenſis, Paſſauienſis atque Alberſtadienſis; altæ ac præclaræ indolis magnæque ſpei Adoleſcens.

Franciſcus ab Atzfelt Epiſcopus Herbipolenſis, & Dux Franconiæ, ac præterea Epiſcopus & Princeps Bambergenſis, linguarum etiam exterarum peritia, morum ſuaui quadam grauitate, prudentiſſima dexteritate, & imprimis ſacerdotio vel in florenti ætate ſuſcepto cunctis apprimè carus, atque obſequẽtiſſimus erga Domũ Auſtriacam.

Franciſcus Gulielmus Bauarus Oſnaburgenſis, Mindenſis, Verdenſis Epiſcopus & Princeps; Vir eſt vigilantia & ſtudio augendæ tum dignitatis ac diſciplinæ in Clero, tum in populo Religionis omnibus anteferendus, ſolo tamen initiatus eſt ordine Subdiaconi.

Georgius Antonius à Rodenſtein Epiſcopus Wormatienſis, & initiatus pridem Sacerdos, Vir optimus, & dignus conditione maiori.

Ioannes Adolphus ab Hoheneck Electus Abbas Fuldenſis, & ibidem Princeps, indole atque ingenio egregius præ alijs, qui ex Fuldenſibus Præpoſitis eligi potuiſſent.

Ad-

Digitized by Google

Admirationem parit vniuerſæ oræ Septentrionariæ; in tot Epiſcopatibus huius amplæ Legationis, ſolum Treuirenſem Antiſtitem cõſecratum: cui Archipræſul Moguntinus deferre ideo Ratiſbonæ in Comitijs debuit munus præcipuum Auguſtæ inaugurandæ. Idcirco multi interpretantur Eccleſias eorum, hoc præſertim tempore, Deum non experiri propitium, ſed iratum.

Hactenus Em.[æ] V.[æ] ſeriem eorum denarraui, quæ geſta ſunt, aut obuenerunt, dum in inferiore Germania obiui Apoſtolicam Legationem. Subijciam iam prudentiſſimæ ipſius meditationi, quædam capita rerum, quæ proponere poſſum, citra metum & notam proprij ſeu honoris ſeu commodi, quæque ideo interpretabitur beneuolè, vti ſpero, Em.[a] V.[a]; quia nimirũ poſui perſonam Legati, & ſeruio in hac re atque obſequor dumtaxat exiſtimationi maiori tum Sanctæ Sedis, tum Legati eius Apoſtolici Succeſſoris mei. Nempe Legato eidem expediret facultates ampliari, vel aucto ordinario Legationis eius diplomate, vel dato diplomate alio peculiari. Ipſe enim hoc pacto plurimos Apoſtolicæ Sedi poſſet obſtringere & demereri: quibus & notabilius & frequẽtius gratificaretur. Alioqui cum diſtribuere Eccle-

ſia-

ſiaſtica beneficia nequeat, niſi ea, quæ haud excedant Philippicos quatuor & vicenos, ſanè hoc tenue ſubſidium cenſetur, & largitas plus nimio anguſta, raroq; ie inſuper vſu venit. Certè in ſola Leodienſi diœceſi ego ea diſtribui: at in alijs diœceſibus Epiſcopi, minoreſque ſeu Clerici ſeu laici Patroni, vſurparunt paſſim ius illa diſtribuendi in menſibus etiam Pontificijs: ideoque conferri à me numquam alibi conſueuerunt. Sed & in Diœceſi ipſamet Leodienſi quantulacumque demū eſt hęc poteſtas, quam limites varij adſtringūt & cohibēt; ne beneficia videlicet aut ſint, vt dixi, ſupra quaternos & vicenos, aut infra denos Philippicos: neue ſint in ijs Eccleſiis fundata, quibus præſunt Collegia Canonicorum; item ne ad alios ſpectent ipſo iure Patronos: etenim cum ita res habet; in neutro menſe ab Apoſtolico Nuncio ea diſtribuuntur. Videat præterea & perpendat Em.ª V.ª, an non expediret, Apoſtolicos Nuncios, inſtruere poteſtate pari, atque eſt poteſtas Epiſcoporum totius Legationis: quibus ſi concedit ampla indulta Summus Pontifex, eſt cur ea non deſiderent præcipui Adminiſtri eius Apoſtolici Legati. Archiepiſcopo Electori Colonienſi, qui eſt ſimul Leodienſis Princeps &

An-

Digitized by Google

Antiſtes permittitur poteſtas diſpenſandi, cum Laicis quidem, qui ſint inopes & inter quos anteceſſerit incontinentia, vt conſcientiâ tranquillâ, & Deo propitio, matrimonia ineant; cum Clericis verò, vt initientur extra Eccleſiæ tempora conſueta: quâ ille poteſtate vtitur dumtaxat in Archidiœceſi Colonienſi. Deberet id perinde Apoſtolicis Nuncijs, ex æquo ſaltem, licere. Peculiariter ij, qui ante me Legationem hanc adminiſtrarunt, omnes, aut ex conſuetudine peruetteri aut ex alio priuilegio ſacras extra tempora inaugurationes conceſſerunt ijs, qui ad eas adigi ob cauſas ſatis conſentaneas iudicarentur. Sed enim abſtinui ego; quia dum facultatum mearum diploma euoluerem, id in eo clarè ac diſtinctè non legi. Proinde identidem ſupplicaui Em.^{ae} V.^{ae}, vt mihi à Sanctiſ.^{mo} facultatem illam obtineret. Ad hæc, quoniam ſũmus Pontifex, in menſibus quoque Apoſtolicis, dat veniã Epiſcopis huius Legationis, diſtribuẽdi ſacerdotia, quę vacant ex obitu; an non foret cõſultum, Apoſtolicis Nunciis permittere, vt ad vnum menſem alterumue illa diſtribuerẽt? Nimirum hoc pacto, augeſceret Apoſtolicæ Sedis decus & præſidium, multique colerẽt magis Legatos Pontificios, ſpe harum promotio-

tionum ad magis honorifica & magis opulenta Sacerdotia. Imo & ipſis Legatis indicarent multa, quæ clam & minùs rectè peraguntur in vna quauis Diœceſi. Hoc tamen interea tẽporis neutiquam ſperari poteſt: quia quotquot ad Sacerdotia hæc adſpirant, Epiſcopos potius à quibus eadem expectant, vel ideo ſuſpiciunt, & reuerentur. Cederet quoq; ad exiſtimationem maiorem Apoſtolici Legati, vt beneficia ſimplicia diſtribueret menſe Pontificio peræque in Eccleſijs, in quibus ſunt Canonicorum Collegia; ſi minus indiſcriminatim in omnibus, ſaltem in aliquibus earum. Et quia in Epiſcopatu Leodienſi Summus Pontifex hoc indultum Epiſcopo dũtaxat pro Eccleſijs illis conceſſit, in quibus Sacerdotia diſtribuit tamquam Ordinarius; diſponit verò Sãctitas Eius de Sacerdotiis Eccleſiarum, de quibus diſponere proprius earum Ordinarius, ſeu ſit Præpoſitus ſeu Pręſul alius, altero menſe ſolet; in his ſaltem deberent Apoſtolici Nuncij ea vel penitus, vel ex parte diſtribuere. Ne autem Datariæ id detrimẽto eſſet, litteris gratiæ adſcribi poſſet ac præcipi; vt infra deliberatos, & præfinitos menſes, litteræ in Romana Curia denuo peterentur: ſecus, qui hoc intermitterent, caderent Sacerdotio

dotio. His poſſet adijci poteſtas diſpenſandi circa defectum ætatis neceſſariæ ad ſupremum Preſbyteri ordinem, ſaltem cùm dies quadrageni tantùm, aut triceni deſiderantur : item facultas, eos qui ex toro damnato & abſque nuptijs progenerantur, idoneos reddendi tum ad ſacros & præcipuos tres ordines, tum ad Eccleſiaſtica illa beneficia, quibus adnexa eſt animarum procuratio. Inſtructus his facultatibus erat in hac Legatione Epiſcopus Vercellenſis; & fuit idcirco magna Viri auctoritas atque exiſtimatio, nec parem conſequuti ſunt ex ſucceſſoribus vlli. Quando etiam in Epiſcopatibus Germaniæ conferuntur Cathedralium Eccleſiarum Sacerdotia; par eſſet, vt inter prima nomina recenſerentur illi, quos commendaret Apoſtolicus Nuncius: ſimul quippe honor tribueretur Viris dignis, & his, quorum nota ingenia eſſent, ac noti mores; maneretque erga Sanctæ Sedis Adminiſtros maior in his regionibus obſeruantia & obligatio. Quæ demum Romæ grata decernuntur, pro Electoribus, pro Epiſcopis, aut pro Magnatibus alijs Legationis, ea per Apoſtolicos Legatos, manare omnia, quaſi per organa Sanctę Sedis pręcipua deberent, ad eoſdem viros Principes certiùs illis

ximus decorum meorum : me nimirum iura famulatus mei exegiſſe in Pontificatu glorioſo Vrbani Octaui, & in humaniſſimo principatu Emæ. V.æ. Hoc inter familiæ meæ adſcribam potiora monumenta: & interim exoſculans Smi. D. N. beatiſſimos pedes, & manus ſimul Em. V. vtriſq. opto, & voueo manſuram in annos plures felicitatem.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

d by Google